









A

anathema fo: 23

i

In modo discernendi [illegible]
[illegible] fidem [illegible]
[illegible] in [illegible] fo. 68

No. 196.



Sanctifica[tio] et ceremoniae mosaicae duplicem consideranda fol: 75

T

Tria sunt de quibus homines gloriari solent fo: 71
Triplex dissidium in homine 114
Tres quaestiones fol: 125

V

Vocatio folio 18
Verbum iustificandi fo: 42
Vires esse liberi arbitrii fol: 70
Vox dispensationis duobus modis accipitur fol: 127

X

Z

Zelus duplex fo: 103

Y

5 Sept 34

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS, SCRIPTVS

A

NICOLAO HEMMINGIO.



Si Filius uos liberauerit, uerè liberi eritis, Iohan: 8.

VITEBERGÆ

ANNO M. D. LXIIII.

SPLENDORE GENERIS, PIETATE ET VIRTVTE PRÆSTANTI VIRO, DOMINO GEORGIO ROSENKRANTS SENATORI REGNI DANIÆ SAPIENTISSIMO, DOMINO DE ROSENHOLM, SVO PATRONO AC DOMINO, GRATIAM ET PACEM PRECATVR NICOLAVS HEMMINGIVS.

CVM PAVLVS *Apostolus adhortatur, vt preces fiant pro regibus & alijs omnibus in eminentia constitutis, quo tranquillam & quietam vitam degamus in omni pietate & honestate, magnas sanè res paucis verbis comprehendit. Non enim tantum docet in quem finem ordinarit Deus magistratum,*

ſtratum, tum omnes pios potiſsimùm occupatos eſſe oporteat. Etſi autem tempore Pauli tot ferè erant Eccleſiæ hoſtes, quot erant magiſtratus: tamen inter ordinationem Dei & Sathanæ confuſionem permagnum eſt diſcrimen. Paulus igitur ipſum conſilium Dei ordinantis gradus gubernatorum in mundo conſiderans, preces pro magiſtratu præcipit fieri, vt tandem veluti è graui ſopore excitatus, magiſtratus cogitet ſe miniſtrum Dei eſſe, vt ea faciat quæ Deo grata ſunt & humanæ ſocietati ſalutaria. Ab hoc fine longè aberrant iſti, qui ocium, vtinam ocium tantùm, ſectantes, ſuſq; deq; ferunt quomodo reſpublica adminiſtretur: qui olim iuſto iudici rationem ſuæ adminiſtrationis reddent. Quare cuicunq; magiſtratui pietas

tas cordi est, is Paulum docentem audiat, ab eoq; discat in quibus occupari ipsum oporteat, modò diuinum illud munus sibi commissum ritè administrare velit. Non frustra dictum est à domino: Ego dixi Dij estis. quibus verbis Dominus significat diuinum esse officium quod gerit magistratus: in cuius rei testimonium illi suum diuinum nomen impertit. Ac si diceret: non vestra potentia, non vestra sapientia, non vestris consilijs imperia constituuntur, retinentur, conseruantur, & sunt salutaria generi humano: Sed à me qui Rex sum Regum & Dominus Sebaoth, vobis traduntur, per me retinentur, & propter me conseruantur & sunt salutaria. Ego enim sum qui constituo reges: ego sum qui do salutem regibus:

ego ſum per quem vos reges regnatis: in cuius rei euidens teſtimonium vobis meum diuinum nomen communico, vt Dij appellemini. Cùm igitur Deus ornet magiſtratum ſocietate ſui nominis, ſeueriſsimè poſtulat, vt huic ſanctiſsimo & auguſtiſsimo titulo factis reſpondeat. Non ergo Princeps aut magiſtratus vocem ATREI indigniſsimam homine imitetur, qui ait: Sanctitas, pietas, fides priuata bona ſunt, qua iuuat eant reges: Sed potius ſanctiſsimo Regi Ioſaphat obtemperet, qui ita à ſe conſtitutos gubernatores alloquitur: videte quid agatis, Non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei, & quodcunq; indicaueritis in vos redundabit, ſit igitur timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Non

enim

enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas est, nec personarum acceptio, nec acceptio munerum. Vtinam hæc admonitio locum haberet apud omnes qui magistratu funguntur, & Christiano nomine gaudent: certe minus esset tyrannidis, minus crudelitatis, nec tot miseri homines iniquis premerentur iudicijs.

Sed quænam sunt illa in quibus maximè pius magistratus occupari debet? Paulus quatuor ordine enumerat, dum iubet preces pro regibus, & ijs qui in aliqua eminentia constituti sunt fieri, vt tranquillam, inquit, & quietam vitam degamus in omni pietate, & honestate. Primùm est igitur tranquilla vita: Secundum, quieta vita: (nam inter tranquillam vitam

& quietam discerno) Tertium, pietas: Quartum, honestas.

Prima igitur cura magistratus erit vt tranquillam vitam degamus. Est autem vita tranquilla, cùm totum reipublicæ aut regni alicuius corpus pace fruitur, & non infestatur ab externis hostibus. In hunc finem Deus magistratum potentia & armis munit, vt se hostibus, si quando tranquillitatem reipublicæ labefactare volunt, opponat. Nam tum demum iustum erit bellum, quando suscipitur religionis, legum & subditorum defensionis gratia. Quare magistratus qui hîc stringit gladium in hostem, minister Dei est & bona conscientia hostem inuadere potest. Magistratus igitur qui Deum timet sciat suum officium esse, vt vice Dei hostem repellat,

lat, quo ſubditis tranquillam vitam degere liceat.

Secunda cura magiſtratus erit, vt ſubditi quietam degant vitam. Eſt autem vita ἡσύχιος hoc eſt quieta, cum ſinguli ſtatus & ordines, atq; ſinguli homines propria agunt, & propria curant ſine πολυπραγμοσύνῃ. Opponitur enim ἡσυχία hoc eſt, quies curioſitati: id quod ſatis liquet ex Pauli dicto: Contendite ἡσυχάζειν hoc eſt, quieti eſſe, ſeu vt ipſe ſe interpretatur πράσσειν τὰ ἴδια quod eſt res proprias agere. Agimus autem res proprias quando ſinguli noſtrum officium facimus, & noſtrum ſtatum honeſtè tuemur ſine aliorum contemtu & detrimento. Quantus autem hic labor requiratur in magiſtratu, præſertim in tanta perturbatione omnium

statuum, et tanta hominum peruersitate, non est difficile iudicare. Respublica lyræ haud dissimilis videri potest, & magistratus tibicini. Vt enim modulatio concinna, & varia soni suauitas lyræ percipitur, cum fidicen neruis increpet, singulosq́; aptè percurrat: Ita Harmonia concinna & suauis est reipublicæ, quando magistratus diuersos hominum ordines, qui instar neruorum sunt, quosq; intra suos limites continet, ac ita legibus temperat, vt vnicuiq; debitum temperamentum adhibeatur. Contrà verò si fidicen neglecta chordarum proportione lyram percusserit, sonus editur ingratus & insuauis: Ad eundem planè modum si ordines hominum diuersi in republica sibi permittuntur, nihil profecto est insuauius, nihil pernitiosius.

Si

Si igitur fidicini probro vertitur quando parum aptè chordas in lyra resonare facit, multò magis dedecori erit magistratui, si legibus & prudentia singulos ordines hominum in republica non moderatus fuerit: ita vt sit debita quædam proportio: sine qua nullus concentus, hoc est, concordia esse potest. Eodem pertinet illorum sententia, qui rempublicam cantui ex multis sonis diuersis constanti, & magistratum musico moderatori cantus comparant: vt enim in cantu cùm plures soni & diuersi aptis proportionibus ordinantur, harmonia auditu iucunda nascitur. Et contrà cùm imperitus musicus sonorum proportiones non rectè moderatur nihil inamœnius esse potest: Ad eundem modum cum plures ordines hominum, vt senato-

ſenatorius, equeſter, & plebeus (hos enim Cicero numerat) mutuis officijs ſociantur, ſeruata cuiuſq; ordinis dignitate, ſuauiſsima redditur humana societas. Contra verò vbi vnus ordo hominum plus æquo euehitur, & reliqui nimium deprimuntur, fieri non poteſt vt incolumis ſit humana ſocietas: Sed metuenda eſt pernicioſa quædam diſonantia, quam tandem ſequetur miſera corporis totius reipublicæ dilaceratio, huc ergo magiſtratus ſua conſilia conuertet, vt debita ordinum hominum in republica ſeruari proportio poſsit. Hoc quàm difficile ſit factu experiuntur, qui rectè imperare didicerunt. Hic enim concentus & ordinum harmonia non conſeruatur ſine ſingulari ſapientia & prudentia magiſtratus. Nam non omnes in offi-

cio retinentur vno eodemq́ modo. Alij enim beneficentia, alij honoribus, alij pœnis magis flectũtur. Quare veteres rectè ſenſiſſe puto, qui tribus rempublicam conſeruari dixere: ἐυεργεσία τιμῆ καὶ τιμωρία. Porrò vbi magiſtratus ſeu princeps hunc ſtatuum ſeu ordinum hominum in republica ordinauerit concentum, ad ſingulos ſe conuertet, ſtudebitq́ vt ſinguli quieti ſint & propria agant, faciantq́ quæ officij ratio & vocatio poſtulare videtur: idq́ vel ex præſcripto legum, vel ex dicto magiſtratus, qui viua quædam lex eſt. Hîc proinde conſtitutis ſingulorum artificiorum inſpectoribus (quos Athenienſes ἐπισκόπους appellarunt) curabit vt abſit in artificibus impoſtura, vt iuſta ſit emtionis & venditionis ratio. quod vbi

non

non fit paulatim respublica ad ruinam tendit. Nam quando permittitur auaris, vt ipsi suis rebus imponant precium, statim æqualitas euertitur, sine qua societas humana conseruari non potest. Quod de artificibus dixi, etiam intelligi volo de diuitibus, qui prouentos suos annuos vendunt. His si permittitur suis mercibus imponere precium, magna sequentur incommoda. Rem vno saltem declarabo exemplo. Diues aliquis vino aut frumento abundans quærit emtorem, qui forte statim precium soluere non potest. Hîc emtor vt fauorem diuitis redimat, aut alia commoda consequatur emit carius, quàm pro ratione prouentuum anni res emi posset. Quid hic fit? alij audientes quod iste tanti vendiderit suum vinum aut frumentum,

tum, seu quicquid aliud esse potest, imitantur exemplum in totius reipublicæ certissimum damnum. Hic si magistratus non cohercet legibus tales publicos fures, quietem suorum subditorum non quærit, sed sinit vt alios alij iniquè opprimant. Quod ne fiat oportet in republica bene constituta æstimatores constitui, eosq́ pios et iustos, qui non vnius ordinis hominum rationem haberent, sed totius reipublicæ & omnium partium eius æqualem curam, vt seruetur æqualitas.

Tertia cura magistratus erit religionis, Etsi autem religionis cura prima & præcipua est censenda: tamen ideo etiam in tertium locum reiecit PAulus, quia hæc finis esse debet tranquillæ & quietæ vitæ,

atq;

atq; adeo totius societatis humanæ: Sicut piè cecinit Stigelius & vir & Poëta optimus:

Vtq; alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iußit habere domos.

Itaq; preclarè Pythagoricus quidam dicebat regem debere esse bonum στρατηγὸν, καὶ δικαστὴν, καὶ ἱερέα, hoc est, imperatorem, & iudicem, & sacerdotem. Hanc ob causam regibus Israël cura conseruandæ religionis commissa est, Ita enim ait Dominus Deus: Quum autem sederit Rex super solium regni sui, scribet sibi Deuteronomium legis huius in volumine Libri, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & Cere-

Ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt, nec eleuetur cor eius in ſuperbiã ſuper fratres, neque declinet in partem dextram aut ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filij eius ſuper Iſraël. Sed quid opus eſt multis in re manifeſta? hoc igitur ſciat magiſtratus. Si non religionis conſeruandæ & propagandæ curam habuerit, fidem abiecit & eſt infideli deterior. Nam ſi is, iuxta Pauli ſentẽtiam, qui vnam familiam negligit fidem abnegauit, quid dicendum eſt de illo qui tot domorum, tot prouinciarum, tot Regionum curam abiecit? Nec ſe iuſtè excuſare poteſt, qui dicit ſe corpora & facultates ſubditorum conſeruare, eáque curare quæ pertinent ad hanc ciuilis conſuetudinis incolumitatem. Nam hoc perinde eſſet ac ſi pater ſe

ſuo functum officio diceret, Si libe-
rorum corpora benè ſaginaret, negle-
cta potiori educationis parte, quæ eſt
educare liberos in timore & corre-
ptione Domini: quam partem qui
negligit à Paulo Apoſtolo Ethnico
deterior pronunciatur. Si enim bonus
Princeps pater patriæ cenſetur, debet
profectò ſuis ſubditis paterna officia
inter quæ Primum & maximum eſt
Dei gloriam propagare inter ſubdi-
tos, vt non ſolum viuant, ſed vt beatè
fœliciterq́; viuant. Quod ſanè fieri
non poteſt, niſi ſumma religionis cura
fuerit. Hæc cura in multis Sanctis
Regibus & principibus effecit, vt
& ſcholas pias erigerent, et pios Do-
ctores alerent, qui eſſent interpretes
verbi Dei & informatores eorum
qui poſtea Eccleſijs paſtores præfice-
rentur, & vt alia, quæ ſunt plurima,

exempla prætereamus, domesticis cõtenti simus. Christiernus primus eius nominis, Daniæ Noruegiæ et Sueciæ Rex ante annos 84. hanc Haffniensem Academiam erexit, hoc consilio, vt esset veluti officina quædã in qua formarentur ingenia & mores eorum qui postea in Ecclesia Dei custodes doctrinæ essent. Et quãuis eo seculo vera religio Paparũ superstitionib. tantum nõ oppressa fuit, tamen laudandũ est studiũ pÿ Regis qui fecit quãtum in se fuit. Hunc secutus est filius Rex Ioannes et nepos Christiernus secũdus, qui, quãtum ad Academiæ nostræ conseruationẽ attinet, etiam meruerũt suam laudem: Etsi adhuc Papalibus tenebris omnia plena erant. Hos secutus est Fridericus Primus, qui vt pacis studiosus erat: Ita etiam Patronus &

 defen-

defenſor fuit piorum miniſtrorum verbi. Nam hoc rege regnante latius ſparſit ſe doctrina Euangelij, quæ à tenebris vindicata Witebergæ ad alias quoq; nationes cito tranſuolauit. Et quia difficilius fuit in principio ſuperſtitionem Papiſticam penitus abolere, fecit pius Rex quod potuit, & aduerſus iniuſtam vim defendit eos qui puræ religionis elementa in his regnis tradiderunt. Fridericum primum ſecutus eſt Chriſtiernus tertius, qui ſtatim in initio ſuæ gubernationis cogitauit de reformandis Eccleſijs, Ac omnium primum, ordinatis Epiſcopis pijs & doctis in omnibus Diæceſibus, erexit hanc Academiã Haffnienſem ferè collapſam, & magnis ſumtibus accerſiuit homines doctos, qui religionem et alias honeſtas artes

& disciplinas docerent. Huic successit Fridericus secundus sanctißimi patris vestigijs insistens. Nam & huius potißima cura est, vt conseruetur puritas doctrinæ in Scholis et Ecclesijs. Hæc pars officij magistratus non solum ad summum magistratū pertinet, sed etiam ad singulos suo ordine, atq; adeo ad patresfamilias quoq;. Nam si cultus Dei finis est & conditi humani generis, & redemti, nemo non videt omnium interesse cultum Dei promouere pro viribus. Sed habita vocationis cuiusq; ratione.

Quarta cura Magistratus erit honestatis, hanc enim Apostolus pietati subiungit. Nam à pietate vera honestas dependet. Vocabulum σεμνότης quo Paulus vtitur duo complectitur. 4

Nam & omne officij genus inter homines, & honestam quandam morum grauitatem significat. illud locum habet in mutuis hominum commercijs, ne quid turpiter aut indecorè aut flagitiosè fiat: Hæc reuerentiam suauitate morum hominibus conciliat. Quàm sit autem necessaria vtráque virtus in humana societate ex eo patet, quòd vicia cum his pugnantia humanam societatem turpissimè commaculent. Quare rectè secundus finis tranquillæ & quietæ vitæ à Paulo statuitur hæc honestas, quæ & in omni officij genere versatur, & reuerentiam quandam in moribus & singularem grauitatem postulat. Huc ergo magistratus incumbet vt post religionis curam hanc honestatem tueatur. Sed quomodo hoc magistratus

efficiet in tanta morum corruptione? Lege, exemplo, pœna. Lege prohibeat iniusta, vt fraudes in commercijs & turpitudinem in moribus, & præcipiat honesta vt candorem & morum grauitatem. Exemplo confirmet quod lege statuit, hoc est, ipse magistratus se ipsum statuat viuum omnis probitatis exemplar: Quod sanè multo efficatius est quauis lege. Verissimè enim dictum est à Poëta. Regis ad exemplar totus componitur orbis. Nam quod in regibus vident subditi, siue honestum sit siue turpe, imitari gestiunt. Pœna castiget ex æquo honestatis contemtores, ex æquo castigationem ideo adhibendam iudico, quia si vni parcitur, & in alium seuitur, iuxta vulgo notum versiculum, dat veniam coruis vexat

censura columbos, vilescunt leges, contemnitur magistratus authoritas, laxatur disciplina, & mali occasionem securius peccandi inde accipiunt. Quare longè præstaret nullas leges ferre, quàm voluntatem legum non exequi. Hæc officij magistratus pars etiam requirit, vt magistratus iuuet ministros Euangelij ad conseruandam disciplinam, & castigationem Ecclesiasticam, tametsi enim distincta est pœna Ecclesiastica à pœna ciuili: tamen sine magistratus opera conseruari nequit disciplinæ Ecclesiasticæ iusta seueritas. Quare magistratus, si huic rei manum non adhibet, partem officij sui negligit, & facit opus Domini fraudulenter.

Hæc de partibus officij magistratus,

stratus, clarissime vir, ideo exposui, non vt te doceam, qui pietate vera & magna eruditione excellis: Non vt te quasi cessantem stimulis excitem, qui magnam laudem apud omnes, qui te norunt, iusticiæ & æquitatis obtines: Sed potius, vt qui hæc lecturi sunt, tuo exemplo excitentur ad præstandum officium, hoc est, vt gubernatores rerumpublicarum singuli suo ordine cogitent seriò quid suum officium requirat, ne iusto iudici Deo aliquando iustas pœnas neglecti officij sint daturi. Nec Libertini, pessimum hominum genus, sunt audiendi, qui prætextu libertatis Christianæ anarchiam & omnium scelerum impunitatem in mundum inuehere conantur. Non enim intelligunt miseri Christianam libertatem

finitam esse, & intra certos limites claudi. Quemadmodum Paulus in hac nobili Epistola ad Galatas scripta luculentè docet. Nam & præcipit vt stemus in libertate parta sanguine Christi, & monet ne carni prebeamus occasionem libertatis prætextu. Quod si fecerimus libertate excidimus, & denuo serui peccati efficimur: Iuxta hoc Domini dictum. Qui facit peccatum seruus est peccati. Porrò commentarium hunc clarissime vir, in Epistolam Pauli ad Galatas, quæ continet præcipuas partes doctrinæ Ecclesiæ videlicet de iustificatione nostri coram Deo, de libertate Christiana, & de officijs Christianorum inter sese, sub tuo nomine in lucem emittere volui, vt aliquod signum gratitudinis erga te meæ extaret:

taret: qui mihi olim, dum vnà in florentissima Schola Vuitebergensi viximus aliquot annos, plurima beneficia contulisti: Quorum memoria perpetuò apud me manebit.

Rogo igitur vt hoc munus qualecunque, signum animi mei erga te, boni consulas, ac me solita beneuolentia complectaris, memor veteris nostræ consuetudinis & studiorum communium. Vale vir Clarissimè ac patrone obseruande vna cum castissima ac pijssima tua coniuge Dorothea Lange ex antiqua & nobili familia Langonum oriunda. Hafniæ.

Anno Domini 1564.

Mense Octobri.

Argu-

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS.

VT EPISTOLÆ HVIVS ad Galatas scriptæ facilior habeatur aditus, quatuor nobis in initio expetenda, & explicanda uidentur. Primum, quis quantusq; sit huius epistolæ autor: unde autoritas scriptionis dependet. Secundum, quæ fuerit scribendi occasio: cuius obseruatio ad tractationis ordinem rectè intelligendum permultum facit. Tertium, quis sit status, seu quæstio principalis: ex quo & genus causæ cognoscitur, & totius orationis conatus, hoc est, finis & scopus ultimus discerentis apparebit. Quartum, quæ sit methodus, seu quod idem est, quis sit tractationis ordo: sine quo disputationis neruus nequaquam deprehendi potest. De his igitur quatuor, eo quo proposita sunt ordine, dicendum est.

DE AVTORE HVIVS EPISTOLÆ.

Electum illud Dei organum Paulus Apostolus, neque ab hominibus, neque per hominem, sed per

per Iesum Christum uerum Deum & uerum hominem immediatè ad Apostolatū uocatus (quemadmodum habet huius epistolæ Epigrapha, & uocationis Paulinæ expositio in Actis Apostolicis capitibus 9. 13. 22. & 26.) autor est huius Epistolæ. Vnde haud obscurum est, summam esse huius Epistolæ autoritatem. Non enim secus accipienda sunt quæ hic promit Dei spiritus, per Paulum, quàm ea quæ ab ipso Domino sunt prodita, Quapropter omnia quæ continentur in hac Epistola atque in alijs Pauli scriptis eius esse authoritatis sciamus, ut in dogmatibus confirmandis & refutandis erroribus, tantùm habeant robur, quam uox Dei patris quæ de cœlo sonabat. Vox enim Pauli nihil aliud est, quam filij Dei sonus: quem Pater cœlestis uult totum mundum audire iuxta illud. Hunc audite. Hinc igitur est, quod quicquid incidit in disputationis alicuius tractatione apud Paulum, habeat pondus & robur ex Dei spiritu. Ex quo fit ut tam multiplex incidentium doctrinarum obseruatio in Paulina lectione necessaria sit. Nam dum unam aliquam quæstionem tractat Paulus, multa per occasionem incidunt: quæ uarias doctrinas, & admonitiones diligentibus lectoribus suppeditant. Quam ob causam diligenter obseruandum est inter locos proprios, hoc est, eos quos ex proposito tractat Apostolus, & locos incidentes: qui per occasionem

nem inferuntur, ne confusio discentium ingenia perturbet, ac properantes remoretur. Quod de scriptis Pauli dixi, id etiam intellectum uolo de Moysis, Prophetarum, & Apostolorum concionibus. Nam & hi omnes testimonium diuinum habent, quod Christi uerbum adferant.

DE OCCASIONE.

Occasione scriptionis obseruata rectius intelligetur quæstionum ordo, & orationis œconomia. Hanc autem scribendi occasionem habuisse Paulum, & Theodoretus testatur, & ipse contextus Epistolæ conuincit: Cùm Paulus docuisset Galatas & ueram Euangelij doctrinam de gratuita salute sola fide obtinenda, & Christianam libertatem, atque alio docendi gratia, urgente Apostolatus munere, commigrasset, quidam ex Iudæis credentes, adhuc tamen zelo erroneo paternarum legum occupati, persuaserant multis in Galatia fidelibus recipiendos esse ritus Mosaicos, circumcisionem, sabbatha, & neomenias, & falsò docuerant Euangelium nihil prodesse, nisi simul reciperentur ritus isti Mosaici. Obtinuerunt autem istud apud Galatas hoc modo. Dixerunt non oportere Paulo tantùm credere, qui nuper prodijt unus ex Apostolorum discipulis, sed Petro potius, Ioanni, Iacobo &c. qui ab ipso Christo

triennium edocti non prohibuerunt ritus legales. Deinde addiderunt quòd ipse Paulus suum Timotheum qui Græcus erat, circumcidisset. Tametsi autem uerum fuit Apostolos permisisse ritus Legales ad tempus, idq; propter infirmitatem hominum, præsertim Iudæorum qui conuersi erant ad fidem Christi: tamen Pseudoapostoli maligne abusi sunt ista permißione, & miserè inescabant ac fascinabant Galatas, ac si istos ritus requirerent Apostoli, ut qui ad iusticiam coram Deo consequendam facerent, ac si iusticia illa, qua coram Deo iustificamur, conflari deberet ex fide Christi, & obedientia rituum legalium, tanquam ex causis seu partibus.

DE STATV.

Status in hac Epistola principalis est, quod sine Legis operibus sola fide in Christum iustificentur credentes. Hoc statu confirmato stat & consistit huius Epistolæ conatus, seu finis, nimirum uindicatio libertatis Christianæ. Non enim aliud consilium Paulo fuit in hac Epistola, quàm ut contra Pseudoapostolos assereret Christianam libertatem, ne ulla portio legis obtineret gloriam illam, quæ soli filio Dei competit. Sic enim scriptũ est. Si filius uos liberauerit, uerè liberi eritis. Deinde, est & alius status principali deseruiens: unde

unde & adiuuans status rectè dici potest: uidelicet quòd Paulus uerus Iesu Christi sit Apostolus. Nisi enim hic status confirmaretur, reliqua reciperentur difficulter. Hinc iam genus causæ principalis intelligitur esse διδασκαλικὸν, uterq; status, uidelicet principalis & adiuuans coniecturalis est. Res enim à Paulo proposita à Pseudoapostolis negabatur. Paulus dicit se Apostolum Christi, affirmat fide iustificari homines sine Lege. Vtrumq; inficiebantur aduersarij, ex qua contentione status nascitur. Verum Paulus utriusq; intentionis firmamenta colligit, de quibus in Exegesi uidebimus.

DE METHODO ET TRACTATIONE.

Postquam occasionem, statum principalem, & conatum huius Epistolæ uidimus, facilius erit nunc tractationis ordinem inuestigare, & monstrare. Quia autem ualdè puerilis admonitio est Epistolæ partes (quæ sunt epigrapha, salutatio, tractatio, & ualedictio) signare, satis erit hoc loco de tractationis ordine seu Methodo dicere.

Perpetuum dialecticorum præceptum est, ut cum quæstiones aliæ ab alijs dependeant, illæ priorem, in tractatione sortiantur locum, quæ natura

priores

priores sunt, quibusq; confirmatis non parum iuuantur quæ sunt ordine posteriores. Paulus itaq; 1
post Epigrapham et prooemium (in quo prooemio increpat Galatas, & eos accusat defectionis ab Euangelio quod ab ipso didicerant, et testificatur de Euangelio quod docuerat) ut conuincat suum Euangelium non esse humanum, quæstionem, de sua uocatione tractat, Atq; longa narratione se diuinitus uocatum ad Apostolatum commonstrat.
Deinde principalis quæstio sequitur, Confirmata 2
enim uocatione, Apostolatus principalem quæstionem seu propositionem maiore cum autoritate & fide tractat, proponitq; non lege sed fide in Christum homines consequi iusticiam, idq; facit iusta Methodo confirmatoria, ac subinde, ut fieri solet, id quod obijcere poterant turbatores isti de lege refellit, & usum legis commonstrat, principali quæstione confirmata, infert quod potißimum quærebatur, uindicationem Christianæ Libertatis, in qua iubet eos stare, & non amplius seruitutis iugo implicari: unde dilabitur ad hypothesin, & circumcisionem nequaquam recipiendam esse probat. Vnde rursus redit ad libertatem, monetq; ne ea abutantur Galatæ. Post hæc subiungit Parænesés uarias, quas ad tria capita reuocare licebit: uidelicet ut fugiant carnis opera, ut ea quæ spiritus suadet faciant, ut proximi rationem habeant, cum omni animi beneuolentia,

& officio. Hinc sequitur conclusio: in qua summam causæ repetit Apostolus, cum admonitione, ne sibi amplius sint molesti. Postremo loco, Epistolam uoto claudit. Atque ita apparet naturalem ordinem partium seruari in huius Epistolæ œconomia.

DE IMITATIONE PAVLI IN DOCENDO.

Paulus in omnibus suis scriptis inter docendum sæpißimè dilabitur in monitiones, reprehensiones, laudationes, minas, & consolationes, eas nimirum quæ sponte ex doctrina fluere uidentur. Quod Pauli exemplum pij uerbi precones imitari debebunt. Non enim extraneas, uel monitiones, uel reprehensiones &c. adhibebunt, sed quas doctrinæ uis & natura sponte offert, has accommodabunt præsentibus auditoribus: quorum mores cognitos habent. Hanc docendi rationē Moyses, Prophetæ, Christus, Apostoli (ut in ipsorum concionibus patet) sequuti sunt: sine qua parum doctrina efficax erit. Tanta est enim humana segnities & tarditas, ut ad ea, quæ ad salutem spectant, nisi stimulis, impelli non poßint.

DE MODO ENARRATIONIS HVIVS EPISTOLÆ.

In explicatione singulorum capitum huius Epistolæ à me hactenus usitatum seruabo ordinem. Primum enim in summariam quandam comprehensionem totum caput contraham. Deinde ordinem, & partes capitis ostendam. Tertio exegesin una cum obseruatione locorum propriorum & incidentium adijciam: quo usus & Praxis rerum quæ traduntur conspiciatur.

SVMMA CAPITIS PRIMI.

EGO Paulus Christi Apostolus, uos Galatas, antea quidem rectè institutos, nunc uero à perturbatoribus quibusdam seductos, uerū Euangelium docui: adeo ut maledictum pronunciare ausim quisquis aliud docuerit Euangelium, quàm ego: qui non ab hominibus illud didici, sed per reuelationem Iesu Christi, quemadmodum mea testatur conuersio.

ORDO ET PARTES.

Post Epigrapham & salutationem sequitur exordium patheticum, in quo duo sunt: uidelicet querela ob defectionem Galatarum ab Euangelio, quam querelam mox mollit translatione, & testificatio de Euangelio amplificata collatione

& imprecatione. Post exordium sequitur narratio: cuius propositio est, Euangelium à Paulo prædicatum, non esse humanum. Hanc propositionem sequenti narratione confirmat. Nam in narratione ipsa plurima probabilia argumenta asperguntur, quæ omnia hoc fundamento nituntur, uidelicet quod Paulus sit uerus Iesu Christi Apostolus: quemadmodum zelus legis Mosaicæ, & paternarum traditionum, subita conuersio per reuelationem Christi, uitæ institutum post conuersionem, & Elogium Ecclesiarum de Paulo. Hæc signa coniuncta diuinitus conuersum esse Paulum, & uocatum euidenter indicant. Verum ne mentiri uideatur Apostolus ad Dei testimonium prouocat.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Paulus Apostolus (non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui excitauit ipsum ex mortuis) & qui mecum sunt omnes fratres.

IN Paulinis Epigraphis hic seruatur ordo. Primo loco suum nomen ponit Apostolus. Deinde

eos ad quos scribit nominat. Plerumq; magnificis Titulis suam uocationem extollit. Id quod à Paulo factum esse apparet ob tres potißimum causas. Quarum prima est, ut suæ doctrinæ autoritatem conciliet contra Pseudoapostolorum calumnias. Secunda, ut hoc pacto confiteri se Christum, quem tum ferè totus mundus persequebatur, palam faciat. Tertia, ut suo exemplo eos ad quos scribit ad confeßionem Christi inuitet. Porrò in hac Pauli Epigrapha quatuor coniunguntur. Primo enim loco nomen suum proprium ponit Apostolus. Deinde addit nomen officij. Huic subiungit modum uocationis ad officium. Tum mentionem facit fratrum quos socios scriptionis agnoscit. Nomen proprium Apostoli certificat Galatas de authore Epistolæ. Signatio officij, authoritatem scribenti conciliat. Modus uocationis, præterquam quod authoritatem scribentis commendat Galatis perstringit aduersarios, qui Pauli uocationem tanquam illegitimam calumniabantur. Mentio fratrum, non solùm ostendit consensum doctrinæ, uerumetiam declarat Catholicam esse doctrinam, quam Apostolus ipsis antea prædicauerat. Ex his colligantur sequentes loci. Primus & proprius de Apostolatu Pauli & ministerio Ecclesiastico quod habet à Deo authoritatem. Secundus, quàm ardens studium esse debeat in uerbi ministris propagandæ & defenden-

dæ ueræ doctrinæ. Tertius, confeßio ministerij exemplo Pauli omnibus Euangelij ministris commendatur. Quartus, quòd uocationis legittimæ ad functionem Ecclesiasticam conscientia in ministris Euangelij requiritur. Quintus, fratris appellatio fraternum & amicabilem affectum docentium & discentium in Ecclesia, atq; adeo omnium, Christianorum docet. Exemplum proinde Pauli proponendum est ministris Euangelij, quo moneantur non captandum esse dominium in Ecclesia, sed ut potius se fratres agnoscant illorum quos in ministerio socios habent. Porrò hoc loco tres modi uocationis ad ministerium Ecclesiasticum notentur, quorum primus fit ab hominibus: secundus, per hominem: Tertius, per IESVM Christum, & Deum patrem. Ab hominibus mittuntur interdum perturbantes ad turbandas Ecclesias, sicut tempore Apostolorum, à Iudæis incredulis factum esse dubium non est. Per hominem, ut cum Paulus ordinat Titum, & Titus oppidatim presbyteros constituit: quæ uocatio legitima quidem est, & à Deo probatur, imò ab ipso Deo est. Licet per hominem, ut instrumentum Dei. Hanc uocationem mediatam, & generalem uocant. Per Iesum Christum, & Deum Patrem qui suscitauit ipsum à mortuis. Hæc uocationis forma immediata & specialis dicitur, cæteris multò augustior, quæ maiorem etiam uocatis autorita-

toritatem conciliat. Per Iesum hominem adhuc mortalem, uocati sunt duodecim Apostoli, per Iesum omni ex parte immortalem uocatus est Paulus. Quare non inferior est ullo modo reliquis Apostolis. Cum igitur dicit Apostolus se uocatum esse, non per hominem sed per Iesum Christum, non simpliciter negat Iesum esse hominem, sed à mortalitatis necessitate ipsum uindicat, utpote suscitatum iam à mortuis, & glorificatum: cum interim alij qui per homines uocantur, per mortales uocantur homines. Hoc annotandum duxi propter Stenckfeldium, & Eutychianos, qui fingunt humanam naturam Christi post ipsius gloriosam resurrectionem esse conuersam in Deitatem. De his tribus uocandi modis Augustinus hoc pacto loquitur. Qui ab hominibus mittitur, mendax est: Qui per hominem mittitur, potest esse uerax, quia & Deus uerax potest per hominem mittere. Qui ergo neque per hominem neque ab hominibus sed per Deum mittitur ab illo uerax est qui etiam per hominem missos ueraces facit: Hæc Augustinus.

Propter has tres formas uocationis est quarta, cum quis ambitiose seipsum uocat, & intrudit in functionem Ecclesiasticam, per iniusta media. Verùm hæc uocatio nulli unquam bene cessit. Ecclesijs Galatiæ. Ad quos scribit Apostolus breuiter signat, hic multa obseruatione digna occurrunt.

runt. Primum, ex eo quod Paulus seductas Ecclesias titulo Ecclesiarum dignatur, discendum est contra Anabaptistas & Staphylum, non negandam esse Ecclesiam in eo cœtu in quo sunt hæreses, errores, & lapsus multiplices. Secundo, euidenter hinc colligitur, atque adeo ex tota Epistola, quòd Ecclesia rectè prius instituta possit labi in errores, & seduci à falsis Prophetis. Vnde concluditur falsum esse illud Papale axioma Ecclesia errare non potest. Donec quidem uerbo Dei adhæret Ecclesia, et ductum spiritus Christi sequitur, fatemur eam errare non posse, uerum ubi exemplo Galatarum audierit uocem Pseudoapostolorum, in præcipitium errorum deijcitur. Nam posita una falsa hypothesi, infinitæ ex ea consequuntur. Tertiò, exemplum Galatarum, quos reuocat Paulus, euertit errorem nouatianorum affirmantium lapsum omnem post agnitam gratiam esse peccatum irremißibile: Nam si hoc uerum esset, spiritus sanctus per Paulum Galatas turpißimè lapsos nequaquam ad pœnitentiam reuocasset. Quartò, quia Galatæ fuerunt Græci oriundi à Gallis, unde & Gallogræci dicti sunt, Testimonium hic habemus & exemplum uocationis gentium ad Euangelium.

DE SALVTATIONE.

Gratia

Gratia uobis & pax à Deo patre & Domino nostro Iesu Christo, qui dedit seipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo malo secundum uoluntatem Dei & Patris nostri, cui gloria in secula seculorum Amen.

Apostolus suo more Epigraphæ *salutationem subiungit, quæ continet summam* Euangelij, *quæ gratiæ & pacis uocabulis signatur.* Hanc *salutationem amplificat à causis, idq; primum à principali efficiente, quam imperantem uocant, cum inquit: à* Deo Patre, *ab obsequente, cum ait à* Domino *nostro* Iesu *Christo. A materiali, quæ est huius* Domini *traditio in mortem pro peccatis nostris, & à finali, quæ est liberatio à præsenti seculo malo, id est, à tyrannide diaboli, à peccati regno, atque adeo ab omnibus peccatis & malis, quibus ob peccatum premitur humana natura. A primitiua, quæ est uoluntas* Dei *nostri, & patris adeo diligentis mundum, ut filium suum unigenitum daret.* His *causis amplificata salutatio, clauditur gratiarum actione, quæ ad causam finalem referenda est. Est enim diuinæ iusticiæ & bonitatis gloria, finis salutis nostræ quam offert* Euangelium.

Porrò gratiæ & pacis uocabula apertius declaranda sunt, gratiæ itaq; uocabulo significatur fauor Dei, seu gratuita Dei erga nos beneuolentia, & eius effectus remißio peccatorum, donatio spiritus sancti, uita æterna, atque adeo dona alia quæ nobis ex hac beneuolentia Dei donantur. Pacis nomine significatur, non solum reconciliatio nostri cum Deo sed etiam quæ reconciliationem sequuntur, ut sunt gaudium spiritus, tranquillitas conscientiæ, atque adeo omnia prospera. Verùm quia hæc gratia & pax non nisi fide apprehenduntur, tacitè fidem ab ipsis Galatis requirit Apostolus, ut enim fundamentum gratiæ & pacis est uoluntas Dei miserentis & approbantis. Ita fides & terminus est quem ista respiciunt, & instrumentum, quo recipiuntur. Huc adscribamus doctrinas & obseruationes, quas nobis hæc salutatio suppeditat.
1 Quarum prima est, quidquid nobis contingit prosperè, hoc totum proficiscitur à Deo per IESVM CHRISTVM.
2 Secunda, summaria comprehensio Euangelicæ doctrinæ in salutatione continetur in qua causæ salutis nostræ omnes recitantur, quæ ex alijs scripturæ locis illustrandæ sunt.
3 Tertia, Deus tuetur nos credentes & curam nostri habet, est enim Deus noster, & pater noster per Christum.
4 Quarta, Christianorum est gloriam Dei deprædicare, quoties in beneficiorum eius mentionem incidimus.

incidimus. Ex his omnibus confirmetur articulus iustificationis & remißionis peccatorum, confutentur gratiæ Dei hostes: admoneamur fidei & gratitudinis. Porrò præter ea quæ iam de Epigragha & salutatione dicta sunt, obseruandum est artificium Pauli, quo in plærisque suis Epistolis usus est. Vt enim plærumq; in Epigraphis & salutationibus ita hic semina quædam iacit sequentis disputationis. Cum itaq; præcipuæ disputationis partes sunt, quemadmodum supra indicatum est, disputatio de uocatione Pauli ad Apostolatum, & de uera iustificandi ratione coram Deo, Paulus in Epigrapha uocationis, in salutatione uero iustificationis argumentum & summam ponit: quam summam postea, ut fieri solet, latius fundit, exponit, & comprobat.

DE EXORDIO.

Miror quod adeo cito transferamini ab eo qui uocauit uos in gratiam Christi in aliud Euangelium quod non est aliud nisi quidam sunt qui turbent uos & uelint inuertere Euangelium Christi.

PRopositio exordij sumti ab occasione scriptionis obiurgatoria. Obiurgat enim Galatas, ut

tas, ut supra admonui, ob defectionem ab Euangelio Christi. Est autem grauissima obiurgatio, quemadmodum ex incremento uerborum quibus hoc loco utitur Apostolus diligens Lector facilè animaduertit. Primum enim eos translatos seu transpositos miratur, quod leuitatis fuit. Non enim solidis rationibus couuicti, sed blandis pseudoapostolarum uerbis ueluti stipulæ flatu leuis auræ translati sunt. Hoc exaggerat à circumstantia temporis, dum inquit adeo cito. Huc accedit iniuria personæ facta, à qua eos translatos conqueritur. Ab eo, inquit, qui uocauit uos in gratiam Christi, id est, in regnum Christi, ubi sola Christi gratia dominatur. Exaggeratur & hoc, cum addit eos translatos in aliud Euangelium, scilicet, quàm Christi, quod tamen non est aliud, nisi turbatorum quorundam malitia & conficta contra Euangelium Christi impostura. Porrò, ne ipso obiurgationis impetu Galatas prorsus deijciat, sed magis ad pœnitentiam excitet, obiurgationem, mollit translatione partis culpæ in aduersarios dum inquit, quod non est aliud nisi quidam sint, qui turbent uos & uelint inuertere Euangelium Christi. Hinc iam extruamus doctrinas utiles ad Ecclesiæ ædificationem. Prima, officium fidelium præconum uerbi est non solum recta & uera docere, uerumetiam cessantes & deficientes seriò obiurgare, ijsq; sceleris

leris ſui autoritatem ponere ob oculos, ut, agnito
errore, pœnitentia emendentur & ſalui fiant.
Secunda, non ſolum culpandi ſunt qui alijs per 2
falſa dogmata autores ſunt ruinæ, uerumetiam
illi qui ſe ineſcari blanditijs impoſtorum ſinunt.
Tertia, miſcere legem cum Euangelio, addere o- 3
pera tanquam partem iuſtificationis gratiæ Chri
ſti, eſt inuertere ſeu uertendo immutare Euange-
lium Chriſti: quo ſane ſacrilegio nullum maius
eſſe poteſt, cuius ſacrilegij omnes ſunt rei quot-
quot ullam, uel minimam iuſtitiæ Chriſtianæ, qua
iuſtificatur homo coram Deo, portionem legi aut
ullis operibus aut meritis humanis attribuunt.
Quarta, quanta ſit miniſterij uerbi dignitas ex 4
eo claret, quod gratia Chriſti ſit eius obiectum,
ad cuius participationem per miniſterium uerbi
inuitamur. Quinta, conſcientijs maxima conſo- 5
latio proponitur dum ſtatuunt concionantis uo-
cem Chriſti uocem eſſe, ſicuti & ipſe Dominus
ait, Qui uos audit me audit, Qui uos ſpernit me
ſpernit. Sexta, oſtenditur hic quod uocatio ad 6
Euangelium Chriſti, ſit plane gratuita: ut quam
nulla merita præcedant. Septima, Pſeudoapo- 7
ſtolorum ſtudium eſt Eccleſias turbare, & inuer-
tere Euangelium Chriſti: idq; in hunc finem
ut Chriſti regno euerſo palatia Satanæ erigan-
tur.

Verum,

Verum, etiamsi nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet uobis, præter id quod Euangelizauimus uobis anathema sit. Vt antea diximus, & etiam nunc iterum dico: si quis uobis euangelizet præter id quod accepistis anathema sit.

Altera pars exordij, quæ est Antithesis propositionis obiurgatoriæ, et testificatio Pauli de Euangelio quod docuerat Galatas. Hanc testificationem, ut supra dixi, amplicat collatione & imprecatione, ut sit numerosior & uehementior oratio. Eodem pertinet conduplicationis schema. Repetit enim eandem testificationem eisdem penè uerbis. Huiusmodi conduplicationes uehementer solent excitare auditorum animos ad rei propositæ seriam cogitationem, & æstimationem. Porrò quo nitatur fundamento hæc sancta Pauli Parrhesia & testificatio uideamus. Nititur autem, ut tota sequens narratio ostendit, hac ratione: Quicunque prædicat aliud Euangelium, quàm unicum Euangelium Christi, pro Anathemate habendus est. Quicunq; prædicat aliud Euangelium quàm quod ego Paulus prædicaui, prædicat aliud Euangelium quàm Christi. Ergo quicunq; prædicat aliud Euangelium quàm quod ego Paulus docui pro anathemate habendus est.

est. Maiorem probat consensus ueræ Ecclesiæ, & sanguis piorum Martyrum inde usq; ab Abel. Vnicum enim Euangelium Christi catholica Ecclesia semper agnouit. Maiorem proinde ut confessam omittit Paulus. Minor, quæ est κρινόμενον, sequenti narratione, quæ de uocatione Pauli instituta est, confirmatur. Nam ubi probatum fuerit Paulum à Christo edoctum & uocatum esse ad Apostolatum, nullus amplius dubitabit Euangelium à Paulo prædicatum esse Christi Euangelium: sicuti copiosius suo loco dicemus. Hîc enim satis est testificationis Paulinæ fundamentum nudè & dialecticè proposuisse, quo nerui argumentationis Paulinæ, & consilium Apostoli apertius conspiciantur. Cæterùm doctrinæ quas hic Pauli locus suppeditat hæ sunt præcipuæ. Prima, maiestas Euangelij Christi adeoq; uerbi Dei nobis in propheticis & Apostolicis scriptis traditi tanta est, ut nulli dignitatis titulo, nulli naturæ cedat. Secunda, quàm abominabile sit Christi Euangelium, quod unicum est, adulterinis additamentis contaminare, indignatione Pauli, imprecationis uehementia, extremo conuitio, & eiusdem geminatione, indicatur. Tertia, ut immota certitudo & ardens studium in præconibus uerbi ad uindicandam doctrinæ autoritatem exemplo Pauli requiritur, ita fides inconcussa eiusdem doctrinæ in auditoribus esse debet: adeo ut

nullis

nullis qui aliud docent ob ſanctitatis excellentiæ aut ſucceßionis titulum fidem adhibeant: Sed potius pro anathemate habeant, quemadmodum hic diſertis uerbis mandat ſpiritus Chriſti in Paulo. 4 Quarta, hinc luce clarius apparet non ſuſpiciendos eſſe ueluti columnas Eccleſiæ, & ſucceſſores Apoſtolorum eos qui hodie iſtis titulis ſuperbiunt. Nam ſi conferas iſtos ſeductores cum Pſeudoapoſtolis, quos hoc loco perſtringit Paulus, multis ſanè modis inuenientur Papiſtæ peſtilentiores quibuſuis Pſeudoapoſtolis. Quid enim nunc faciunt Papiſtæ aliud, q̃ ut uarijs tormentorum generibus tollant de medio eos, qui hoc à Paulo prædicatum Chriſti unicum Euangelium docent, ut flumine ſanguineo Martyrum, curſum Euangelij intercludant. Quare non ſecus deteſtemur Papiſticam doctrinam, quàm ipſiſsimam ſerpentis uocem, qui noſtros primos parentes in Paradiſo decepit. Vt autem anatemathiſmus Pauli plenius intellıgatur, nonnulla de uocabulo anathematis ſubijciam. Virtute enim huius uocabuli intellecta, pondus Paulinæ teſtificationis magis elucebit. Non eſt autem ſimplex huius uocis uſus, nec Paulus eam ſine peculiari tropo ad uſum ſuum tranſtulit. Dicitur autem anathema ab ἀνατίθεσθαι, id eſt, à ſuſpendendo, & ſignificat propriè anathema ornamentum ſuſpenſum, ad parietes ornatus gratia. Hinc anathematica σκεύη.

De vocabulo anathematis

dicuntur

dicuntur uasa quæ ornatus causa habentur: ut sunt Lebetes, uasa argẽtea, stannea, & huiusmodi. Homerus libro uicesimo primo Odysseæ per Metaphoram usus hac uoce anathematis. Ita enim ait μόλπῃ καὶ φόρμιγγι τὰ γάρ τ' ἀναθήμα-ματα δαιτός. Hic poëta cantum & cytharam conuiuiorum anathemata esse, hoc est, ornamenta seu oblectamenta pronunciat. Verum à prima significatione translatum est uocabulum ad donaria promissa, persoluta, & suspensa in templis idolorum: quemadmodum est apud Platonem in quarto de legibus pagina 544. προσομιλεῖν δεῖ τοῖς θεοῖς καὶ εὐχαῖς καὶ ἀναθήμασι, hoc eis, deos accedere oportet uotis & anathematis. Apud Aristophanem in Pluto. τοῦτο ἀναθήσων ἔρχομαι πρὸς τὸν θεόν, hoc est, hoc anathema suspensurus ueniam ad Deum. Deinde quia huiusmodi donaria dicata idolis Deo abominabilia fuerunt, atque ideo destinabantur internecioni, factum est, Metalepsi Hebraica, ut nomine anathematis significaretur res Deo abominabilis, diris imprecationibus deuota, & ob id detestanda, ut quæ adeo polluta sit & à Deo damnata, ut nisi tollatur è medio totæ respublicæ magnis calamitatibus puniantur. Vnde & græci hebræum חֵלֶם uertunt anathema, ut Iosuæ Septimo & sæpe alias. Hinc itaq; admoneantur contaminatores Euangelij Christi, quòd sint anathema, id

est, Deo abominabiles, & execrandi atque à Deo prorsus separati. Admoneantur quoque pij quanto studio fugere eos deceat huiusmodi anathemata, ne incurrãt in pœnas grauißimas, si attigerint hæc anathemata, hoc est, si colluserint cum hostibus Euangelij. Huc illud Iohannis pertinet: Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum & aue ei ne dicatis. Nam qui dicit ei salue communicat operibus eius malis.

Nunc enim utrum homines an Deum suadeo? aut quæro hominibus placere? Nam si adhuc hominibus placerem Christi seruus non essem.

PRæoccupatio est, per quam diluit obiectionem aduersariorum, qui ambitione & studio captandi fauoris apud homines, Paulum in gratiam hominnum prædicare criminabantur. Sensum in hunc modum dialectica forma efferre poterimus, ita ut medius terminus sumatur ex criminatione aduérsariorum, obijcientium Paulo, quod accommodaret se hominibus fauoris captãdi gratia, & ambitione, atque ideo prædicaret placentia. Qui studet se accommodare hominibus, in gratiam hominum loquitur: & qui studet

se accommodare Deo in gratiam Dei loquitur. Ego Paulus non studeo me accommodare hominibus sed Deo. Tanti enim facio Euangelium Christi, ut omnes pro anathemate habeam, quotquot Euangelium Christi humano fauori & doctrinis hominum postponunt. Quare me nequaquam in hominum, sed in Dei tantum gratiam loqui manifestum est. Hic est simplicissimus uerborum Pauli sensus, obscurior quidem propter ambiguitatem Græci sermonis quem nostra lingua reddi posse in hunc modum existimo. **Tall ieg nu menniſken / till wild heller gudt?** Eandem sententiam repetit cum addit. Aut quæro hominibus placere an Deo? Prius destruit euidenti signo, ut ponat posterius. Si, inquit, hominibus placuissem, id est, placere studuissem, Christi seruus non essem, sed potius mansissem in Iudaismo, in quo magis hominibus & pluribus etiam placere potuissem. His iam subijciamus doctrinas quas præsens locus suppeditat. Prima, præco diuini uerbi gloriam Dei tanquam unicum scopum sibi præfixum habere debet: cum, quouis ambitioso affectu & studio gloriæ propriæ neglecto, tum fauore hominum & approbatione mundi contemtis. Nam ut cogitatio gloriæ Dei puram ueritatem retinere suadet: ita ambitionem & φιλοδοξίαν deprauatio doctrinæ comitari solet fit enim plerumq;, ut ad docentis affe-

ctum torqueatur doctrina, atque ita ueritas amit=
2 tatur. Secunda, Nullus ambitiosus, & uenator
gratiæ hominum potest Christi esse seruus, hoc
est, idoneus Euangelij prædicandi minister. Ter=
3 tia, ne quis hoc loco Pauli abutatur, obseruetur
Regula Hieronymi qui sic ait: Si fieri potest, ut
pariter Deo & hominibus placeamus, placendum
est & hominibus. Sin autem non aliter place=
amus hominibus, nisi Deo displiceamus, Deo magis
quam hominibus placere debemus.

EXPOSITIO VOCATIONIS PAVLI AD APOSTOLATVM.

Notum autem uobis facio fratres quod Euangelium Euangelizatum à me non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed per reuelationem Iesu Christi.

PRopositio expositionis uocationis Pauli ad Apostolatum est: Euangelium à me prædicatum non est humanum. Hanc propositionem breuiter per seiunctionem & positionem causarum confirmat. Vt enim negat se ab homine ac=

cepisse

cepiſſe aut didiciſſe Euangelium: Quare humanum eſſe nequit, ita affirmat ſe idem per reuelationem Ieſu Chriſti accepiſſe ac didiciſſe: unde diuinum eſſe relinquitur. Hic obſeruandum primum eſt: ut Euangelium Chriſti non eſt ab homine profectum: ita neq; hominum decretis aut arbitrio ſubiectum eſt: ut temeritas humana poſſit illi addere aut detrahere quicquam, ne dum totum tollere. Deinde etiam hinc firma ratione colligitur diuinitas Chriſti, quemadmodum ſupra admonuimus in Epigrapha. Si enim Paulus non accepit Euangelium ab homine ſed à Chriſto: Profecto teſtatur Paulus Chriſtum non tantum hominem eſſe uerum etiam Deum.

Audiuiſtis enim aliquando conuerſationem meam in Iudaiſmo, quod ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei & eam uaſtabam, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coæquales in genere meo cum uehementiore ſtudio tenerer traditionum paternarum.

Expoſitio eſt uocationis Pauli ad Apoſtolatum quæ tota eo ſpectat, ut probet κρινόμενον ſyllogiſmi, quo nititur teſtificatio Pauli: Nimirum

mirum quod uerum Christi Euangelium docuerit Paulus. Vt autem narrationem hanc distinctius intelligamus diuidamus eam in tres partes: uidelicet in acta Pauli ante conuersionem: in uocationem cum suis causis, & circumstantijs: & in acta sequentia conuersionem. Deinde singulas partes quæstioni, de qua hic conuertitur, applicemus, unde futurum est, ut argumenta, quæ in ipsa latent, se ueluti in examen proferant. Prima pars narrationis continet acta Pauli ante conuersionem quorum ipsos Galatas testes appellat. Exponit enim qualis fuerit ante conuersionem ad fidem idq; per enumerationem. Primò enim loco uitæ genus exprimit, uidelicet Iudaismum. Deinde qualem in eo uitæ genere se gesserit declarat, nimirum quod zelo Iudaismi persecutus sit Ecclesiam Dei: quod profecerit in Iudaismo supra multos æquales in genere suo, quod tenaciter adhæserit traditionibus maiorum suorum. Sed de his plura uideantur in Actis Apostolicis capite nono & decimo, Item ad Philip: tertio. Sed quomodo hæc applicabimus quæstioni: Cùm Paulus tanto zelo Iudaismi fuerit concitatus, ut persecutus sit Ecclesiam Dei, ut suos coæquales in Iudaismo superauerit, ut tenacißimus fuerit traditionum paternarum, profectò fieri non potuit ut adeo subito humano consilio inde auelleretur. Quare id diuinitus factum esse dubitandum non est.

est. Doctrinæ quas suppeditat hic locus hæ sunt prima προσωπογραφία *Apostoli commendat nobis sedulam diligentiam in nostra uocatione, & uitæ genere præstandam. Donec enim Paulus suæ uitæ genus Deo probari arbitrabatur, totus in hoc fuit, ut suam uocationem ornaret. Secunda, zelus Pauli constantes nos esse & pertinaces uerbi monet, ne circumferamur quouis uento doctrinæ. Tertia, quod Iudaismus & Pharisaismus non poßint stare cum Euangelio Christi. Idem iudicium erit de Monachismo & Papismo, qui non minus aduersatur Euangelio Christi, quàm olim Pharisaismus.*

SECVNDA PARS NARRATIONIS.

Quando autem placuit Deo qui segregauit me ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam, reuelare filium suum per me, ut Euangelizarem inter gentes.

SEcunda pars narrationis continens uocationem Pauli ad ministerium uerbi cum suis causis. Hanc partem retexere placet ut omnia distinctius recitata perpendantur exactius. Primo itaq;

loco εὐδοκίαν Dei, hoc eſt, approbationem & beneplacitum Dei quo Deus ipſe deſtinauerat Paulum, ut eſſet ὄργανον electum ad prædicandum Euangelium inter gentes. Secundò loco ſegregationis meminit, quia Paulus deſtinatus erat muneri Apoſtolico antequam natus fuit. Tertio loco uocationem addit gratuitam, qua uidelicet Paulus ſolenniter uocatus eſt ad Apoſtolatum ab ipſo Filio Dei. Quarto finem uocationis ſuæ addit, nimirum ut reuelet Filium Dei. Quinto modum reuelationis Filij Dei definit eſſe prædicationem Euangelij. Hæc ſi quæſtioni propoſitæ applicentur, eam euidentiſſimè confirmant, nimirum quod uocatio Pauli ſit diuinitus facta. Atque ideo doctrina ipſius non ſit humana ſed diuina, non habeat hominem autorem, ſed Deum ipſum. Porrò præterquam quod uocatio Pauli, & doctrina his uerbis comprobetur, obſeruentur hæ doctrinæ inſigniores. Prima, immenſa miſericordia Dei obſeruanda eſt, qui adeo clemens & φιλάνθρωπος exiſtit, ut etiam ex hoſtibus ſuis maximis non ſolum multos ad pœnitentiam reuocet, ſed etiam non paucos deligat, ut ſint eximia ὄργανα in ipſius Eccleſia. Secunda, uocatio ad miniſterium Euangelij, ut eſt gratuita: ita nequaquam fortuita iudicanda eſt, ſed decreta potius à Deo antequam naſceremur. Tertia, monemur admiranda Pauli conuerſione, ut nō deſperemus de ho-

ſtibus

ſtibus & perſequutoribus Euangelij ante extremum halitum. Quarta, monemur exemplo Pauli ut uocanti Deo per Eccleſiam nos ſubijciamus, Deumq́; inuocemus ut nobis in uocatione noſtra aßiſtat.

DE TERTIA PARTE NARRATIONIS.

TErtia pars narrationis ſequitur quæ continet acta Pauli ſequuta conuerſionem, quæ acta naturali ordine exponuntur prolixè uſq; ad finem fere ſecundi capitis, ubi principalem quæſtionem aggreditur. Verùm quia hæc narrationis pars prolixor eſt, eam in certa membra diſtinguam. Ac primum eam actorum partem quæ in textu huius primi capitis continentur et clauduntur decem & ſeptem annorum ſpacio exponam, & in quinque partes digeram, uidelicet in primum triennium, & profectionem Pauli Hieroſolymam uerſus, uiſendi Petri gratia, in narrationis confirmationem, in profectionem Syriæ & Ciliciæ, & in teſtimonium Eccleſiæ Iudaicæ de Pauli conuerſione & doctrina. Has quinque partes rurſus retexam in minores particulas, ut uis huius exegeticæ probationis intelligatur clarius: Quæ omnia eò ſpectabunt, ut ſingula ſeorſim, & omnia ſimul oſtendant & conuincant

Paulum Euangelium non ab homine sed ab ipso Iesu Christo didicisse.

DE PRIMO TRIENNIO.

Statim non contuli cum carne & sanguine, neque redij Ierosolymam ad eos qui ante me fuerunt Apostoli, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.

HIC textus continet primi triennij Pauli post conuersionem, in quo particulæ sunt quatuor. Prima, quòd mox ubi conuersus sit non contulerit cum carne & sanguine, id est, non adhibuerit in consilium carnem & sanguinem, hoc est, ullos homines: sed soli Christo uocanti obtemperauerit: quod factum clarè testatur Paulum Euangelium suum diuinitus accepisse. Aliâs enim tempore opus fuisset ad discendum, & in tam arduo negocio suscipiendo ultro citroq; cum amicis conferendum fuisset. Cæterum hic scrupulus suboritur explicatione dignus. Actorum nono apertè dicitur uoce filij Dei ad Paulum, postratum in itinere ad Damascum: Surge & ingredere ciuitatum, & dicetur tibi quid oporteat

te fa-

te facere. Deinde Ananias baptizauit Paulum, & solenni ritu manus ei imposuit. Hic autem dicitur quod non contulerit cum carne & sanguine, & supra quòd immediatè à Deo sit uocatus. Verum hæc minimè inter se pugnant. Nihil enim obstat quo minus & per se Christus illum docuerit immediateq; ad Apostolatum uocauerit, & ornandi ministerij causa hominis opera sit usus Christus in Paulo ordinando & approbando. Vocabulum προσανατίθεσθαι, quo hic utitur Apostolus, significat consultare cum aliquo de negocio suscipiendo uel non, & pendere ex alicuius consilio quod Paulus hic nequaquam se fecisse affirmat (tametsi baptismate in Ecclesiam receptus, & impositione manuum Ananiæ inauguratus sit ministerio: ad quod diuinitus erat uocatus) sed statim prouinciam Euangelicam sibi diuinitus demandatam suscepit. Secunda parti- 2
cula est, neq;, inquit, redij Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerant Apostoli. His uerbis docet quod ab Apostolis non didicerit Euangelium: quos ne consuluit quidem an deberet prouinciam demandatam suscipere nec ne. Atque ita hæc secunda particula hypothesis est superioris atque adeo expositio. Tertia particula continet profe- 3
ctionem Pauli in Arabiam. Quarta reditum in 4
Damascum propagandi Euangelij gratia. Hoc uehemens studium Pauli, hæ difficiles profectio-

nes,

nes, ut uocationem Pauli diuinam esse haud obscu-
rè subindicant: Ita exemplum proponendum est
pijs ministris uerbi, quo incitentur ad similem
pro ratione uocationis suæ diligentiam præstan-
dam: Nec absterreantur minis & persequutio-
nibus quas constat Paulum grauissimas subijsse in
istis primi sui triennij profectionibus dum apud
barbaras gentes & idolatras Euangelij semina
iecit.

DE PROFECTIONE HIERO-SOLYMAM VERSVS.

Deinde post annos tres redij Hie-
rosolymam ut uiderem Petrum, &
mansi apud eum dies quindecim, ali-
um autem ex Apostolis non uidi nisi
Iacobum fratrem Domini.

HÆC expositionis pars continet profectio-
nem Pauli Hierosolymam uersus, & finem
profectionis, uidelicet, ut uideret Petrum, & res
gestas, in suo ministerio apud gentes, illi narraret.
(Hoc enim propriè ἱστορῆσαι significat) & id
quod accidit Paulo Hierosolymis nimirum quod
commoratus sit apud Petrum dies quindecim, ac
ex alijs Apostolis neminem uiderit præter Iaco-
bum

bum fratrem Domini, id est, consanguineum secundum carnem. Prima particula indicat consensum Pauli cum Ecclesia Christi quæ erat Hierosolymis. Secunda significat quod quemadmodum non dissenserit Paulus à reliquis Apostolis: ita nihil ab eis didicerit. Non enim ascendit ad primarium Apostolum Petrum discendi causa, sed ut ipsum inuiseret resq; à se gestas ipsi narraret. Tertia summam concordiam in doctrina Euangelij Paulo cum Petro fuisse indicat. Sed quo hæc? Indicia sunt certißima Paulum non Euangelium ab ullo homine didicisse sed esse doctum potius diuinitus. Deinde exemplum Petri & Pauli admonebit pios ministros uerbi de mutuis officijs, ut se inuicē foueant, consolentur, ament, & sint suis auditoribus quasi speculum mutuæ amicitiæ & concordiæ. Huc illustrandi gratia referatur Psalmus de concordia: Ecce quàm bonum & quam iucundum &c. Et exemplum transferatur ad omnes status, Ecclesiasticum, politicum, & œconomicum.

DE CONFIRMATIONE NARRATIONIS.

Quæ autem scribo uobis ecce coram Deo non mentior.

Quia

QVia ea quæ iam exposita sunt clarè indicant uocationem Pauli esse diuinam, si modo a Galatis recipiantur. Ideo addit Apostolus eorum confirmationem à testimonio Dei. Deum enim suæ uocationis testem appellat. Porrò quia de loco communi iurisiurandi in enarratione Epistolæ Iacobi copiosè à me dictum est, eo remitto lectorem.

4 DE PROFECTIONE PAVLI IN REGIONES SYRIÆ ET SILICIÆ.

Deinde ueni in regiones Syriæ & Siliciæ.

HÆC pars commendat etiam diligentiam Pauli in noua sua functione, & eodem pertinent quo superiora, uidelicet, ut testentur uocationem Pauli ad Apostolatũ diuinam esse; adeoq; uerum Christi Euangelium esse quod prædicat.

5 DE TESTIMONIO ECCLESIÆ IVDAICÆ.

Eram autem ignotus facie Ecclesijs Iudeæ quæ erant in Christo sed solum

ſolum audierant: qui perſequebatur nos aliquando, nunc Euangelizat fidem, quam quondam uaſtabat, & glorificabant in me Deum.

HOc teſtimonium quatuor membra continet. Primum indicat quod Paulus ab Eccleſia Iudaica nihil didicerit. Quomodo enim ab eis diſceret quos non uidit. Secundum teſtatur uerā eſſe ſuperiorem narrationem: uidelicet quòd Paulus perſecutus ſit Eccleſiam Chriſti ante conuerſionem. Tertium teſtimonium Eccleſiæ Iudaicæ eſt, uidelicet quod Paulus conuerſus ſit diuinitus, atq; adeo ipſius uocatio ſit legitima. Quartum euentum habet uidelicet quod Eccleſiæ Chriſti quæ erant in Iudæa propter Pauli conuerſionem glorificabant Deum. Vnde conſenſus doctrinæ Pauli et catholicæ Eccleſiæ Chriſti clarè cognoſcitur. Porrò loci quos præbet perſecutio et conuerſio Pauli antea notati ſunt. Nunc tantum officium piorum obſeruetur eſſe, Deum prædicare ob fœlicem curſum Euangelij, & ei gratias agere quoties ex hoſtibus Eccleſiæ aliquos cōuerti ad fidē audiuerint.

SVMMA CAPITIS SECVNDI.

VT conſenſum ſummum inter ſe & alios Apoſtolos Hieroſolymæ fuiſſe exponit Apoſtolus:

stolus: Ita Antiochenam inter se & Petrum controuersiam narrat: Vnde dilabitur in propositionem principalem: uidelicet quod homo fide absq; operibus iustificetur. Atq; hæc propositio definitio est Euangelij Christi quod Paulus se prædicasse testatur.

ORDO ET PARTES SECVNDI CAPITIS.

PRincipium huius secundi capitis cum fine primi ordine historico cohæret. Nam ut acta sua summatim, quantum quidem ad suum institutum facere uidebatur usq; ad finem decimi septimi anni à conuersione sua prosecutus est Paulus: ita hic addit sequentia acta, & primum quid Hierosolymis egerit: quo mandato diuino profectus est. Deinde quid Antiochiæ gestum sit, quomodo illic cum Petro de uindicanda Christiana libertate concertauerit: unde commode suo more dilabitur in principalem propositionem de iustificatione hominis coram Deo. Quam propositionem breuiter, sed euidentibus argumentis usq; ad finem huius capitis confirmat: Sunt ergo tres principales partes huius capitis. Quarum prima est expositio gestorum Pauli postquam secundo à cōuersione sua Hierosolymam radijsset. Secunda controuersiam Petri & Pauli continet quæ est generis iudicialis. Tertia definitionem Euangelij

Iesu Christi habet, uidelicet quod Euangelium Christi sit doctrina annuncians credentibus gratuitam iustificationem absq; operibus legis sola fide accipiendam. Hanc partem methodo confirmatoria tractat quæ constat propositione, confirmatione, & confutatione, & extenditur usq; ad finem quarti capitis.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Acta Pauli Hierosolymæ post secundum reditum à conuersione.

Deinde post annos quatuordecim rursum ascendi Hierosolymam una cum Barnaba assumto simul & Tito.

Hoc est, interiectis quatuordecim annis à decessu meo à Hierosolyma in regiones Cyriæ & Ciliciæ exacto primo triennio post meam conuersionem, rursus ascendi Hierosolymam adiunctis socijs itineris Barnaba Iudæo & Tito Græco. Porrò in actis Pauli Hierosolymæ postquam eò secundo redijt à conuersione plura sunt obseruanda membra: quæ singula quidem seorsim, & omnia coniunctim non parum momenti habent ad eam quæstionis partem, quæ erat controuersa, confirmandam.

mandam. Primum membrum est quod iam attigimus, uidelicet quod Paulus ascenderit Hierosolymam adiunctis sibi socijs itineris Barnaba & Tito. Hos sanè sibi adiunxit tanquam testes suæ doctrinæ & gestorum in Cyria & Cilicia, ut, si quod (inquit Ambrosius) de eo haberent scandalum, horum testimonio tolleretur. Discamus ergo hinc primum ministrorum uerbi Dei esse appellare ad testimonia eorum qui se audiuerunt, si quando de eorum doctrina controuersia moueatur. Deinde ministri uerbi atque adeo omnes pij discant exemplo Pauli citra nationum & personarum discrimina omnes ex æquo complecti, qui iuxta eandem pietatis Regulam uiuunt, ut qui sint eiusdem fidei domestici sub uno patrefamilias Deo, & communi mediatore Domino nostro Iesu Christo.

Ascendi autem iuxta reuelationem.

Hoc secundum membrum est, quod ut causam profectionis Pauli Hierosolymam, uersus mandatum Dei per reuelationem spiritualem fuisse indicat, ita Pauli uocationem & doctrinam nouo testimonio spiritus sancti confirmat.

Et contuli cum ipsis Euangelium quod prædico inter gentes.

Tertium

Tertium membrum est, quod finem profectionis Paulinæ habet: uidelicet ut conferret cum ipsis Apostolis de Euangelio quod prædicauit inter gentes. Hæc collatio non instituitur Pauli gratia, qui satis spiritu Christi in Euangelio edoctus fuit: sed partim, ut Apostoli scirent uanas esse obloquutiones Pseudoapostolorum qui mentiebantur Paulum dissentire à doctrina Apostolica, Partim ut factiosi homines coràm conuincerentur, & ut ostenderetur Pauli doctrina conuenire cum doctrina cæterorum Apostolorum. Concordiam proinde pacem & profectum Euangelij spiritus Christi per profectionem Pauli quærit. Obseruandum exemplum, quod non modo ministris uerbi proponendum est, uerumetiam omnibus pacis & concordiæ principem amantibus Iesum Christum.

Priuatim autem cum ijs qui erant in precio.

Quartum membrum cum quibus contulerit Euangelium suum Paulus aperit. τοὺς δοκοῦντας uocat Apostolos ipsos per Antonomasian: Quòd autẽ non subterfugiat Paulus Apostolorum iudicium, consensum in doctrina coarguit. Quod exemplum monet nos ut parati simus ad reddendam doctrinæ nostræ rationem, si quando id ulla necessitas postulauerit.

Ne quo modo in uanum curre=rem aut cucurrissem.

5 *Quintum est membrum necessitatem collationis Pauli cum Apostolis continens. Nec hoc intelligi debet relatione Pauli quasi incertus adhuc esset qui magnis laboribus iam decem & septem annos prædicauerat* Euangelium, *sed relatione simplicium & infirmorum quos conabantur* Pseudoapostoli *auellere à doctrina* Euãgelij *quod* Paulus *ipsis prædicauerat, mentientes cum ab* Apostolis *dissentire. Exemplum hoc rursus commonefacere debet ministros* Euangelij, *ut non solum recta doceant ipsi, uerumetiam ut* Pseudoapostolorum *ora obstruant: ne imbecillibus & infirmis sint occasio defectionis ab* Euangelio. *Deinde currendi uocabulum, quo significatur usitata sacris literis* Metaphora *prædicatio uerbi, monet ministros* Euangelij *non uocari ad ocium & uoluptates, sed ad cursum, hoc est, diligentiam & industriam præstandam in sua uocatione, facit & hæc* Pauli *sedula diligentia ad quæstionis robur.*

Sed neque Titus qui mecum erat Grecus cum esset coactus est circumcidi.

6 *Sextum membrum est, argumentum euidens defensæ doctrinæ* Pauli *continens. Si enim circum=*

circumcisio, ut Pseudoapostoli nugabantur, fuisset necessaria ad iustificationem, nequaquam Paulus obtinuisset in isto certamine Titum, qui Græcus erat, non circumcidendum fuisse. Sed quare Apostolus non patitur circumcidi Titum qui antea Timotheum circumcidi permisit? Multæ sunt causæ. Primum enim id factum est ne putaretur circumcisio necessaria esse ad salutem. Deinde ne Pseudoapostoli hoc exemplo aduersus Paulum abuterentur apud gentes, in calumniam doctrinæ Pauli. Tum ut æderet exemplum Christianæ libertatis. Neq; erant Pseudoapostoli parcendi, ut infirmi: sed contemnendi, ut obstinati. Quando autem infirmitas postulabat, factus est Paulus omnibus omnia, ut omnino aliquos seruaret. 1. Cor. 9. Quod igitur permiserit Timotheum circumcidi infirmitatis credentium inter Iudæos rationem habuit: Sed quod Titum defendit non circumcidendum esse. Libertatis Christianæ fuit: quam aduersus obstinatos defendere oportebat. Doctrina ergo hic obseruetur de discrimine infirmorum & obstinatorum. Illis parcendum est, ad ædificationem: His nihil largiendum quo Christiana libertas incolumis seruetur.

Sed propter obiter ingressos falsos fratres, qui subintroierant ad explorandum libertatem nostram, quam habe-

habemus in Christo Iesu, quo nos in seruitutem adigerent, quibus, ne ad horam quidem cessimus, per subiectionem, ut ueritas Euangelij permaneret aqud uos.

7 *Septimum hoc membrum est, continens causam principalem collationis Pauli cum cæteris Apostolis. Hanc causam testatur esse uindicationem Christianæ libertatis, cuius rei rationem assignat cum ait:* Vt ueritas Euangelij permaneret apud uos, *id est, ut euincerem me uerum uobis prædicasse Euangelium. Hic primum Pseudoapostolorum studia obseruemus quos Paulus* παρεισάκτους *uocat, id est, subreptitios, ut qui per dolum se ingerant, & callidè se insinuent, uentris & inanis gloriæ gratia: Quod sane proprium est assentatorũ, & delatorum, Assentatione enim fauorem popularem sibi concilient, delatione uero aliorum famam denigrant, ut ipsi soli magni uideantur. Additur & hic finis quem proposuerunt sibi Pseudoapostoli, ad explorandum, inquit, libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in seruitutem redigant. Vtitur autem hic Paulus ualde significanti uoce* κατασκοπῆσαι. *Est enim hostium, qui clam quidem quærunt quid agant aduersarij atq; inde modum perdendi*

eos uenantur: tametsi apertè aliud prætendunt, simulantes amicitiam. Ad eundem modum Pseudoapostoli quærunt uiam abolendi Euangelium, & uastandi Ecclesiam Dei: qui tamen uoce se iactant Euangelij patronos esse, et propugnatores: quo poßint facilius, quod uolunt, hoc est, fideles in seruitutem redigere, eneruata aut prorsus sublata Christiana libertate. Proponatur pijs exemplum Pauli nihil largientis istis seductoribus, ut diligenter attendant quid agant aduersarij, quem habeant scopum, cum sua figmenta magnificis titulis commendata Ecclesiæ Christi obtrudere conantur.

Ab ijs autem qui uidebantur esse aliquid.

Octauum membrum est per quod Respondet calumnijs Pseudoapostolorum, qui Paulum tanquam unum ex discipulis Apostolorum aspernabantur, atq; adeo ipsum longè Apostolis cæteris inferiorem mentiebantur, ut ita Pauli autoritas minueretur, & doctrina ipsius ueniret in contemtum apud gentes. Sed Paulus contrà, se non discipulum Apostolorum sed Christi pronunciat. Affirmat enim se nihil ab Apostolis didicisse. Hoc exemplum Pauli non arrogantiam in pijs uerbi ministris gignet, sed potius monebit, ut doctrinam quam diuinitus accepit Apostolus ipsi dis- 8

cant, magnificiant ac Ecclesiæ Dei proponant, non ſinentes ſe ab ea ulla Sophiſtica auelli.

(Quales aliquando fuerint nihil mea refert, perſonam hominis Deus non accipit.)

Nonum membrum eſt parentheſi includendum. Eſtq; anticipatio. Nam poſtquam Paulus ſe nihil ab Apoſtolis accepiſſe aut didiciſſe dixiſſet, poſſet aliquis obijcere nihilominus Paulum inferiorem eſſe cæteris Apoſtolis, quos Chriſtus in tantum honoris gradum euexit. Huic obiectioni ita reſpondet Paulus: Non moror qualeſnam ſint Apoſtoli, aut quales aliquando fuerint. Nam cum Deus ipſe in iudicio non uult perſonarum acceptionem, neque ego in iudicio & cenſura de religione uolo Apoſtolis cedere. Par enim eſt officium, par dignitas, illi à Chriſto ad Apoſtolatum uocati ſunt, ego ab eodem & uocatus & doctus ſum. Hic locus primum ſanctam quandam in præconibus uerbi παῤῥησίαν *commendat, ne uidelicet, dum de religione agitur cedant perſonarum dignitati, ne moueantur ullis eminentiæ titulis, ſed ſint potius tenaces uerbi, quod rectè didicerunt, & quam nacti ſunt functionem, ne contemnant: præſertim cum ſciant ſe œconomos eſſe myſteriorum Dei, quæ inuertere homini fas non eſt. Deinde, quemadmodum hic locus fortiſſimè*

militat contra opinionem particularitatis & indignitatis, & contra abusum doctrinæ de prædestinatione: (Pater enim cœlestis omnes homines amat, misit filium quem uult ab omnibus audiri.) Ita requirit fidem & timorem ab omnibus. Huc pertinet dictum Petri, Acto: 10. In ueritate comperi quod Deus nō sit personarum acceptor, sed in omni gente qui operatur Iustitiam acceptus sit illi. Personæ nomen hoc loco, ut in alijs consimilibus metaphoricè significat quicquid foris patet & in oculos hominum incurrit, seu personalem ex conditione aliqua rationem siue illa sit uilis & abiecta siue illustris & suspicienda sine timore Dei. Vel ut clarius dicam, persona est qualitas qua aliquis ab alio differt siue in animo siue in corpore siue in rebus externis sine uera sanctimonia. Ita non docti aut rudis, non senis aut iuuenis, non serui aut domini, non clari aut obscuri, non nobilis aut ignobilis, non diuitis aut pauperis, non Iudæi, aut Græci personæ respectus est apud Deum. Hoc igitur rectè obijcit Paulus Pseudoapostolis qui externā prærogatiuam quandam in Apostolis Domini suspiciebant, nulla ueræ causæ ratione habita. Non enim hic confert Paulus pietatis & sanctimoniæ gradus, sed tantum se cum Apostolis, quantum ad externam faciem attinet, comparat. In qua externa facie detenti fuerunt Pseudoapostoli.

Mihi enim qui uidebantur esse aliquid nihil contulerunt.

10 *Decimum membrum cuius sensus est hic: Apostoli nihil mihi contulerunt consilijs suis & doctrina. Nam postquam exposuissem Euangelium quod doceo inter gentes, uiderunt quòd nihil perfectius, nihil absolutius haberent ipsi, quare satis testantur Apostoli & doctrinæ consensum & Apostolatus parem functionem.*

Sed econtra, cum uidissent mihi cōcreditum esse Euangeliū præputij, quemadmodum Petro circumcisionis (nam quæ efficax fuit in Petro ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit etiam in me apud gentes) cumq́ cognouissent gratiam mihi datam, Iacobus & Cephas & Iohannes, qui uidebantur columnæ esse dextras societatis dederunt mihi & Barnabæ.

11 *Vndecimum membrum est, quod fœdus societatis inter Paulū & Apostolos, primarios continet: cuius fœdoris præcipua causa notatur eadem officij ratio, & æqualitas: quam confirmat à pari causa. Nam quemadmodum Petrus ita Paulus*

lus per se prorsus inutilis fuit ad tantam suscipiendam prouinciam. Quare utrunq; eadem Dei uirtute & efficacia æquale officium accepisse cōmemorat. Huc accedit gratia & donum exercendæ demandatæ prouinciæ, quod donum in Paulo agnouerunt cæteri Apostoli. His igitur causis moti Apostoli fœdus societatis ineunt cum Paulo. Sed quid hæc? Validißime concludunt intentionem Pauli, nimirum, quòd quemadmodum sit diuinitus uocatus ad Apostolatum, sic uerum Euangelium inter gentes docuerit. Habet autem hæc ratiocinatio uim ex duplici loco, uidelicet à pronunciatis. Nam ipsi Apostoli Paulum parem sibi in officio agnoscunt, et à signo euidenti, nimirum quod Apostoli & Paulus fœdus societatis inierint. Porrò loci qui se hic offerunt hi sunt. Primus ministri Euangelij ut dona Dei in se inuicem agnoscere, ita propter ea se inuicem amplecti & amare debent. Secundus, fœdus Apostolorum concordiæ stimulos addit ministris Euangelij, ut concordibus animis & doctrina regnum Christi promoueant.

Vt nos in gentes ipsi uero in circumsionem.

Duodecimum membrum de partitione laboris in officio Apostolico. Hoc membrū ut idem quod 12 superiora probat, ita commendat nobis similem in partiendis laboribus industriam.

Tantum

Tantum ut pauperum memores essemus in quo & diligens fui ut hoc ipsum facerem.

13 *Decimumtertium membrum est euidenter couincens Paulum nihil ab Apostolis didicisse. Nam hoc solum (postquam Paulus exposuisset Apostolis suam doctrinam quam prædicauerat inter gentes & innitum esset fœdus societatis partitis laboribus) ut pauperum curam haberent actum est inter illos, ex quo sequitur Paulum nihil didicisse ab Apostolis. Doctrina hinc summa necessaria extruatur. Exemplum enim Pauli & aliorum Apostolorum monet ministros uerbi, ut post curam quam habent in tradenda uera relligione, summo studio incumbant: quo pauperibus præsertim pijs prospiciatur. Habet enim Ecclesia multos pauperes, quos Deus uult aliorum facultatibus subleuari.*

ANTIOCHENA CONTROVERSIA.

In principio exegeseos huius capitis distinxi acta Pauli quæ in hoc capite recitantur in duas partes, in res Pauli gestas Ierosolymæ, uidelicet post exactos decem & septem annos à conuersione, & in Antiochenam controuersiam. Hactenus de priori parte dictum est: sequitur posterior nimirum Pauli cum Petro Antiochiæ habita

contro-

controuerſia. Controuertitur autem hic inter Paulum & Petrum maxima de re, nimirum de Chriſtiana libertate: ſine qua Euangelium Chriſti purum retineri nequit. Vt autem hanc controuerſiam apertius & diſtinctius intelligamus, hæc excutienda ſunt: quæ ſint huius controuerſiæ partes, quæ partium membra, quid quæſtioni conferant, & quid ſingula in ſe doctrinæ contineant. Seruat autem hic Apoſtolus iuſtæ narrationis artificium. Nam primo loco contractam narrationem in propoſitionis formam redigit. Deinde eandem exponit fuſius naturali circumſtantiarum ordine ſeruato, & excluſis omnibus quæ ad principalem quæſtionem nihil facere uidebantur. Sunt itaq; huius narrationis duæ partes principales, propoſitio, & expoſitio.

Cum autem ueniſſet Petrus Antiochiam palam illi reſtiti, eo quod reprehenſione dignus erat.

Hæc eſt præſentis narrationis propoſitio, cuius tria ſunt membra. Primum, quòd Petrus uenerit Antiochiam, qua re commendatur ipſius diligentia in propagando Euangelio, nobis in exemplum pro ratione uocationis noſtræ proponenda. Secundum, quòd Paulus Petro reſtiterit, quæ res autoritatem Apoſtolatus Pauli, & do-

ctrinam

ctrinam nobis commendat. Nisi enim par fuisset autoritas, diuinus Apostolatus, doctrina cœlestis, nequaquam Paulus primario uiro inter Domini Apostolos se opposuisset. Hinc discant ministri Euangelij nemini parcere ob dignitatis ordinem: qui uel exemplo uel doctrina Christianam libertatem lædit. Verum interim caueant ne κενοδοξία, φιλαυτία & zelo intempestiuo id agant turbulentius, quod Christiana caritas & pax Ecclesiæ, agendum suadet modestius. Tertium quod dicat Petrum reprehensione dignum fuisse, quo indicat Paulus quid se mouerit ad resistendum Petro. Tametsi autem certum est Petrum plenum spiritu Dei in doctrina minime errasse, tamen ut factum Petri scandalo fuit gentibus, ita exemplum doctrinæ non parum nocuit. Sed de hac re in expositione latius. Obseruetur hoc loco quod maximi quiq; & præcipui uiri in Ecclesia poßint interdum labi & errare, quare seruetur Regula quod non exemplis sed uerbo reuelato nitendum sit, quoties de dogmatibus orta fuerit quæstio.

Nam antequam uenissent quidam â Iacobo cum gentibus comedebat.

Expositio est quam secundam præsentis narrationis partem feci: Exponitur enim controuersia Petri et Pauli: quam expositionem docendi causa in quatuor membra diuidam. Quorum primum

mum continet factum Petri. Secundum hypocrisin eiusdem. Tertium imitationem hypocrisios Petri. Quartũ reprehensionem Petri. Cum enim ait unà cum gentibus summebat cibum. Primum membrũ recitatur, uidelicet factum Petri. Petrus comedit cum gentibus, idq; recte fecit, ut quemadmodum antea doctrina, ita nunc suo exemplo Christianam libertatem confirmaret, factum proinde Petri nequaquam culpandum est, sed laudandum, potius, & imitandum pijs, ut simili libertatis Christianæ usu alios ædificient & exemplo suo doctrinam confirment.

Cum autem uenissent, subduxit & separauit seipsum, metuens eos qui erant ex circumcisione.

Secundum membrum est in quo duo spectanda sunt. Primum genus facti, ad quod si respiciamus nihil forte castigatione dignum deprehendetur in Petro. Vt enim cum gentibus comedens libertatem Christianam confirmauit, ita se ab ijsdem subducens infirmitati Iudæorum consuluit. Noluit enim eos offendere exemplo, quos sciuit infirmiores esse. Deinde considerandæ sunt in hac subductione circumstantiæ personarum, & Christianæ libertatis legittimus usus, quæ duo aliud requirebant à Petro. Gentes enim, quæ iam Pauli & Petri

tri aliorumq; conciones doctæ erant Christianam libertatem confirmabantur eorum exemplo. Sed cum Petrus iam subduceret se agentibus, postq̃ aduenissent quidem à Iacobo, Quid quæso poterant gentes aliud suspicari, quàm se lactatas & deceptas fuisse? Vnde facilè uel in contemtum totius doctrinæ Euangelij labi poterant, uel in opinionem necessarij Iudaismi incurrere. Harum igitur gentium, ut recens plantatarum in Euangelio, & pro temporis conditionisq; gentis ratione infirmiorum adhuc, rationem haberi oportuit potius, quàm Iudæorum, qui iam plurimis annis Euangelium audiuerant: quiq; nunc potius pro obstinatis quàm pro infirmis habendi erant. Lapsus igitur
3 Petri non ex malitia, sed errore, & intempestiua συγκαταβάσει infirmitatis Iudæorum natus, rectè à Paulo reprehenditur. Exemplum etenim non parum nocuit. Atq; hoc tertium membrum est huius controuersiæ.

Et simulabant una cum eo & reliqui Iudæi, adeo ut Barnabas simul abduceretur in illorum simulationem.

Ratio reprehensionis. Vt autem hæc ritè intelligantur, & in usum nostrum transferantur, Obseruenda est una distinctio, & duæ Regulæ. Distinctio hæc est, discernendũ est inter imbecilles rectè sentientes, & imbecilles errantes. Regula

una distinctio & duæ regulæ.

prior:

prior: rectè sentientes, adhuc tamen infirmi, nequaquam sunt ostendendi prætextu infirmitatis errantium. Contra hanc Regulam deliquit Petrus, qui maiorem rationem habuit infirmitatis errantium Iudæorum, quàm infirmitatis rectè sentientium Ethnicorum. Exemplo enim destruxit, quod prius doctrina & exemplo ædificarat. Posterior: spectandum quid boni quidq; mali sequatur ex usu externo Christianæ libertatis. Hanc Regulam si Petrus fuisset sequutus, nequaquam subductione sua & socios Iudæos, & gentes in simulationẽ abduxisset, maximo cum periculo Christianæ libertatis. Loci qui ex hoc textu petuntur aperti sunt. Primus, doctrina & exemplum in ministris Euangelij requiritur. Secundus, cauendum ne exemplis nostris alijs simus scandalo. Tertius, quo quisq; in maiori dignitatis gradu constitutus fuerit, eò magis nocet exemplum, si quid delinquat. Quartus, libertas nostra usurpanda est ad ædificationem, & confirmationem eorum qui in uerbo rectè instituti sunt.

Verum ubi uidi quod non recto pede incederent ad ueritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus.

Quartum membrum est continens disputationem Pauli cum Petro: in qua tria sunt spectanda, Occasio, Quæstio, confirmatio. Occasio fuit quod

quod Paulus uiderit eos non recto pede incedere ad ueritatem Euangelij. Est autem recto pede incedere ad ueritatem Euangelij, & recta docere & moribus uitaq; Euangelium exprimere. Non ergo recto pede incedit qui praua docet, nec recto pede incedit qui uera quidem docet, sed uita & moribus seu exemplo à ueritate Euangelij alios auocat. Ponitur autem ueritas Euangelij pro uero Euangelio, Enallage Hebræis usitatißima. Recti pedis Metaphora notat & claudicationem Petri, aliorumq; in Euangelio, & indicat quis sit constituendus terminus cursus ministrorum uerbi, nimirum ueri Euangelij propagatio, & defensio. Deinde spiritus sanctus clarè hic indicat omnes illos à uero Euangelio oberrare qui humanas traditiones Euangelicæ doctrinæ tanquam additamenta quædam adijciunt.

Quæstio seu principalis status huius controuersiæ est: An gentes sint cogendæ ad Iudaismum nec ne. Hoc enim statu probato aut confutato clarum euadet utrum Petrus reprehensione dignus nec ne censendus sit. Nam si gentes non sunt cogendæ ad Iudaismum, certè dignus est Petrus obiurgatione, qui gentes sua hypocrisi ad Iudaismũ, cogit. Si uerò sunt cogendæ gentes, ut recipiant Iudaismum, laudandus est profecto Petrus potius quam uituperandus, qui suo exemplo Iudaismum confirmauit. Confirmatio, qua probat Paulus gentes non esse cogendas ad Iudaismũ, absoluitur tri-

bus ualidißimis argumentis. Sed cur Paulus non priuatim admonuit primarium Apostolum? An non lex caritatis suadet, ut fratres delinquentes clam admoneamus? Respondet Augustinus: Quod aũt hoc ei coram omnib. dixit, neceßitas coëgit, ut oẽs illius obiurgatione sanarentur. Non enim utilè erat errorẽ, qui palã noceret in secreto emẽdare.

Si tu cum sis Iudæus gentiliter uiuis, & non Iudaicè, cur gentes cogis Iudaizare?

Hoc primum argumentum sumtum est à facto Petri, quod hoc modo absoluitur. Si Petrus Iudæus gentiliter uiuit & non Iudaicè, non debet gentes cogere ad Iudaismum: Sed Petrus cum sit Iudæus gentiliter uiuit & non Iudaicè. Non debet igitur Petrus gentes cogere ad Iudaismum. Turpe enim est & indignum primario Apostolo aliud uita, et aliud uoce docere. Totius huius argumentationis loco, propositio sola ponitur interrogatione figurata, ut sit acrior oratio. Porrò quid sit Iudaizare in genere hinc collige. Nimirum opinari & statuere legis ceremonias ac ritus Mosaicos necessarios esse ad Iustificationem, adeo ut sine ipsis non putetur contingere iustificatio.

Nos natura Iudæi & non ex gentibus peccatores, scientes, Quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.

Tertium argumentum quo confirmatur accusatio Pauli, & robur habet à tribus locis. Primo à comparatis. Secundò à communi sententia Apostolorum seu Ecclesiæ Iudaicæ: Tertiò ab axiomate seu principio quodam doctrinæ Euangelicæ. Nos Iudæi pronunciamus & scimus hominem nõ iustificari ex operibus legis, Ergo non sunt gentes cogendæ ad Iudaismum tanq̃ necessarium ad iustificationem. Papistæ hoc loco abutentes docent iusticiam qua consistimus coram Deo & accepti sumus constare ex fide & operibus. Dicunt enim hoc modo. Paulus testatur homines non iustificari operibus, nisi per fidem, id est, non ex operibus destitutis fide, sed operibus fidem cõsequentibus, seu coniunctis cum fide, ut illorum ratio nitatur particula NISI: Verum facilis est refutatio. Nam in sequenti uersu manifestè dicit. Iustificamur ex fide Christi & non ex operibus. Et in fine capitis. Si iusticia est ex lege, Christus frustra mortuus est. Deinde interpretatio illa Papistica pugnat apertißimè cum scopo disputationis à Paulo in hac Epistola susceptæ: Quid ergo dicendum de particula NISI quæ exceptiua uidetur? Paulus utitur, ἐὰν μὴ quæ particulæ sæpe pro ἀλλὰ ponuntur aduersitiua seu discretiua particula: Quemadmodum Camerarius hoc loco rectè annotauit. Præterea Linacer in Sexto de emendata structura Latini sermonis obseruauit NISI

pro

pro sed sæpissime poni: ut in illo Terentij. Nescio, nisi deos fuisse iratos mihi satis scio: qui illi auscultauerim. Non est ergo quòd Papistæ conentur expugnare gratuitam iustificationem particula NISI.

Et nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi & non ex operibus.

Tertium argumentum est, sumtum à communi modo iustificationis & simul ab exemplo. Quotquot iustificantur eodem modo iustificantur. Nos Apostoli in Christum Iesum credentes iustificati sumus ex fide Christi & non ex operibus legis. Ergo & gentes, quæ iustificantur, ex fide et non ex operibus Legis iustificari necesse est. Non igitur gentes ad Iudaismum tanquam adminiculum iustificationis cogendæ sunt. Pro toto argumento solam minorẽ posuit. Porrò præterquam quod clarè euincit Paulus hac disputatione suam uocationem diuinam & doctrinam ueram esse, ad quæ duo capita superius monuimus totam hanc narrationem referendam esse, etiam hos locos colligamus. Primus apertus est & proprius Euangelij, uidelicet, quod fides non adiuuat opera ad iustitiæ complemẽtum, nec opera fidem, sed quod ex fide sine operibus contingat iustitia. Secundus, quod ministri uerbi adeoq; omnes pij poßint ac

debeant ſibi mutuos errores oſtendere, & corrigere ſe inuicem. Tertius, quòd qui iuſtè corripitur ob aliquem lapſum bono gratoq; animo exemplo Petri correptionem accipiat: Quartus, quòd correptio non debeat ex φιλοτιμίᾳ aut alio corrupto affectu proficiſci, ſed ex animo pio, & nitatur firmis ſolidisq; rationibus atq; adeo tendat in ſalutem eius qui corripitur, & in aliorum ædificationem. Quintus, exemplum Petri quemadmodum rectè opponitur ijs qui negant Eccleſiæ prælatos, ut uocant, errare poſſe: Ita diſcant hic pij, quando et quomodo ſanctorum exempla ſint imitanda, nimirum quatenus ipſi caput Chriſtum Dominum imitentur, iuxta Regulam à Paulo traditam: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti &c.

Cæterum, quia ſæpius hactenus, & ſæpiſsime in ſequenti diſputatione occurrit uerbum iuſtificandi placet hoc loco breuiter quæ ſunt huius uocis ſignificationes in ſcripturis oſtendere. Duplex eſt huius uerbi iuſtificandi in ſcripturis ſignificatio. Vna propria, Altera tranſlatitia. Propriè iuſtificare ſignificat ſecundum aliquem iudicare, cauſamq; alicuius comprobare, ut cum iudex in foro cauſam alicuius comprobat, et ſecundum ipſum iudicat eſt enim forenſe uocabulum. Deuter: 25. iuſtum iuſtificent, id eſt, ſecundum iuſtum iudicent, eius cauſam comprobent, & ſententia abſoluant. Prouerb: 17. qui iuſtificat impium, aut qui

condem=

condemnat iustum, uterq; est abominatio coram Domino. Esaiæ 5. Qui iustificant impium propter munus. Translatitiè tripliciter accipitur. 2
Primum enim à forensi significatione transfer- 1
tur iustificandi uocabulum ad genus, et significat approbare aliquem, iustum agnoscere & laudare. Vt apud Lucem iustificauerunt Deum, hoc est, iustum agnouerunt & confeßi sunt. Psal: 51. in te solum peccaui, ut iustificeris in sermonibus tuis, id est, iustus agnoscaris. Item, illud Domini, uos iustificatis uosipsos coram hominibus, id est, iustos uos agnoscitis & prædicatis. Secundo, ab hac ge- 2
nerali significatione transfertur rursus ad speciem aliam, ut iustificari sit hominem à Deo propter mortem filij sui IESV CHRISTI, condonatis peccatis & imputata Christi iusticia recipi in gratiam adoptari in Filium & designari hæredem uitæ æternæ. Quod autem omnia hæc includantur in uerbo iustificati euidentißime probatur hisce Pauli uerbis. Iustificatur igitur ex fide pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Hac significatione accipitur uocabulum iustificandi quotiescunq; occurrit in hac epistola, & alibi in Apostolicis scriptis, quando disputatur de iusticia fidei. Tertio, trãsfertur à genere ad aliam 3

ſpeciem, & ſignificat recti facti collaudationem atque adeo declarationem iuſticiæ ueræ uiuæq; fidei, idq; per opera externa teſtificantia de fiducia cordis, & de iuſticia fidei, non ſecus atq; fructus de arbore, atq; ita accipitur in Epiſtola Iacobi.

Propterea quod non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro.

Minoris proximi argumenti probatio ſumta à genere uniuerſaliter negato, ad ſpeciem generis deſtruendam in hunc modum: Nullus homo iuſtificatur operibus legis. Ergo nec Iudæi ipſi, & multo minus alij. Poteſt & hoc modo formari argumentum diſiunctiue. Neceſſe eſt hominem iuſtificari aut operibus legis aut fide Chriſti. At nemo iuſtificatur operibus legis. Ergo quicunq; iuſtificatur, fide Chriſti iuſtificatur neceſſario. Non enim ſunt aliæ uiæ ad conſequendam iuſticiam. Deinde hæc Pauli ſententia (qua clauditur diſputatio inter Petrum & Paulum atq; adeo tota illa diegetica probatio qua Paulus ſe & uocatum diuinitus & uerum Euangelium docuiſſe probat) ſequentium reſpectu propoſitio principalis eſt, quam quomõ tractat Apoſtolus ſupra in tractationis methodo indicatũ eſt. Teneamus igitur hanc propoſitionẽ firmiter, & intelligamus eam rectè, ut ſpiritus ſanctus eam proponit ſine Sophiſtica.

Neq;

Neq; enim sentiendum est cum sophistis, quòd hic loquatur Paulus de operibus ceremonialibus tantum, sed de tota potius lege & omnibus eius partibus. Nam neq; tota lex neq; ulla eius pars iustificare potest, siue cum fide eam coniungas siue non. Sed de hac re plura in argumentorum explicatione, quibus hæc propositio confirmatur, subinde dicenda occurrunt.

Si autem quærentes iustificari in Christo, reperimur & ipsi peccatores, an non Christus peccati minister? absit.

Sequitur confirmatio propositionis, ac primo loco petitur argumentum ab absurdo, & respondetur aduersarijs. Poterant enim Pseudoapostoli obijcere, fatemur quidem homines fide in Christum iustificari ex parte: Attamen ut sit absoluta iusticia, legis opera addenda sunt. Nam qui fide tantum iustus est, adhuc est peccator, ut qui legem non faciat. Respondet Paulus, si dum quærimus iustificari in Christo inuenimur peccatores, id est, nō plenè iusti coram Deo, Christus profectò uidetur peccati minister esse, et non iusticiæ, ut qui nobis occasio sit maioris peccati. Quia, qui sub lege sunt, inquit Ambrosius, sub maledicto sunt. Sed Christus non est peccati minister, Igitur iustificati in Christo (id est, fide in Christum) non

ſunt peccatores, ſed iuſti, idq́; non ſua, ſed Chriſti perfectiſsima obedientia, quæ credentibus imputatur. Hic obſerua horrendum ſcelus eorum, qui uolunt opera adijcere, ut illis perficiatur iuſticia: qua coram Deo conſiſtimus, illi enim Chriſtum accuſant, ut qui ſua doctrina non ſalutem ſed maiorem damnationem adducat.

Si enim quæ deſtruxi hæc rurſus ædifico, præuaricatorem meipſum conſtituo.

Aliud argumentum ſumtum ab effectu cõiunctionis legis cum fide: Quòd ut magis moueret ſeipſum exempli cauſa propoſuit. Solent enim exempla magis incurrere in ſenſus, quàm uniuerſalia pronunciata. Sed argumentum quod in exemplo latet proferamus. Quicunq; iterũ ædificat ea quæ prius deſtruxit præuaricatur. i. improbat prius factum. Quicunq; iuſtificatus eſt fide, renunciata legis iuſticia, & iterum legis iuſticiam ſectari incipit quo abſolutior reddatur fidei iuſticia, iterũ ædificat quæ prius deſtruxit. Talis igitur præuaricatorem ſeipſum cõſtituit, dum ſcilicet factũ prius improbat et condemnat, qua ratione iterum excidit iuſticia fidei. Proinde iuſtificatus in Chriſto non debet redire ad legem, & ab ea iuſticiam quærere: quaſi adhuc peccator eſſet, & opus haberet additamenta iuſticiæ ex lege. Hæc eſt huius loci ſimpliciſsima ſententia. Exemplum huius rei habemus pulcerrimum ad Phil. 3.

Ego enim per legem legi mortuus ſum, ut Deo uiuam.

Anticipat obiectionem, quam aduerſarius obijcere poterat hoc modo: Lex damnat eos, qui eam non præſtant iuxta hanc legis damnatoriam ſententiam: Maledictus omnis qui non fecerit ea quæ ſcripta ſunt in libro legis. Quare non uidetur ſufficere fidei iuſticia ad ſalutem, Sed requiri etiam iuſticiam legis. Huic obiectioni. Reſpondet Paulus hoc modo. Per legem legi mortuus ſum ut Deo uiuam, *id eſt, per legem, ſcilicet, mittentem me ad Chriſtum, legi ſum mortuus, quare nullum ius me damnandi habet.* Hoc *argumentum fuſius tractatur ad* Romanos *ſeptimo: ubi Apoſtolus in hunc modum loquitur. Lex dominatur homini quo ad ipſe uixerit. Vbi ergo mortus fuerit homo non amplius obnoxius eſt legi. Verum ne quis hinc ſumat occaſionem peccandi addidit finem cum, inquit:* ut Deo uiuam. *Quidam* ἀντανάκλασιν*, hic eſſe putant. Vt legis uocabulum primo quidam loco ponatur pro gratia ſeu fide. Secundo uerò propriè pro lege damnante, ut hic ſit ſenſus.* Per legem, *id eſt, per gratiam ſeu fidem legi, ſcilicet, damnanti mortuus ſum, hoc eſt, liberatus ſum à iure legis damnantis, idq; non ut peccato indulgeam, ſed ut* Deo uiuam, *ſcilicet, in nouitate ſpiritus qua incoatur noua*

erga Deum obedientia, uidelicet, ut nouus homo factus, nouam uitam uiuam. Hic obserua finem iusticiæ fidei qui est, ut exempti à iure legis non peccemus sed potius, ut Deo uiuamus. Viuere autem Deo hoc loco est, uiuere uitam Dei: quæ uita est ex fide producente fructus uiuos, salutares, Deoq; gratos.

Cum Christo sum crucifixus.

Ostendit quomodo mortuus sit legi nimirum quia insertus & insitus sit Christo, qui quoniam peccata hominum in se recepit tanquam ipse reus esset, maledictionem quoq; legis in se recepit, adeo ut crucifixus sit & occisus. Non solum ipse, uerumetiam in eo credentes omnes. Quare & liberi sunt à iure legis, ut porrò non sint serui legis damnantis, sed Christi uiuificantis, & uim legis opprimentis, per suam resurrectionem. Hæc, ut admonent nos fugas peccati, ita incitant nos ad nouam uitam degendam. Sed de hac re plura legantur ad Rom: 6.

Viuo autem non amplius ego: Sed uiuit in me Christus.

Dixit se mortuum legi ut Deo uiueret, Nunc quomodo Deo uiuat exprimit: Ne quis suspicetur illud intelligendum esse de uita naturæ, quod de uita gratiæ intelligi debet: qua Christus in fi-

delibus uiuit sua uirtute iusticia et uita, per quem actuosi iusti & uiui sumus, quotquot in Christo sumus per fidem. Hinc collige quàm sit augusta iusticia fidei præ legis iusticia: & quàm ingens decus sit habere Christum in se habitantem. Et contrà quàm indignum sit tantum decus, uel abijcere prorsus, uel turpitudine uitæ & conspurcare. Præterea obseruetur quòd fides in Christum sit uita fidelium: unde omnes actiones piæ animantur & uiuificantur.

Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo Filij Dei.

Anticipatio est: Poterant enim aduersarij ex dictis inferre hoc modo: Qui fieri potest ut cum palàm uiuas hominum more in carne, id est, uita corporali non uiuas ipse. Respondet, uita hæc corporalis non impedit quo minus mortuus sim legi spiritualiter, & quo minus in fide uiuam filij Dei. Viuere autem in fide Filij Dei is dicitur qui spem uitæ æternæ in se perficiendæ fouet, quia uidelicet credit Christum esse uitam suam, & uitam æternam eum sibi meruisse sua morte.

Qui dilexit me & tradidit seipsum pro me.

Amplificatio est: in qua causas uitæ, quam in Christo habemus exprimit: Nimirum dilectionem

nem Christi, & mortem eiusdem. Quia enim dilexit nos mortuus est pro nobis, & quia mortuus est pro nobis, ipsius morte à morte æterna liberati sumus, modo in ipsum crediderimus. Locus obseruandus, quòd qui iustitiam ex lege quærunt negent Christum pro se mortem obijsse, unde subijcit.

Non abijcio gratiam Dei.

Aliud argumentum à consequentibus paradigmaticos, tantum notatur, ut superiora: quod licet in hunc modum explicare. Si ulla salutis portiò legi ascribitur, abijcitur gratia Dei, (tantum enim abijcitur de gratia Dei quantum legi tribuitur.) Sed non est abijcienda gratia Dei. Igitur nulla portio salutis legi ascribenda est. Pro hoc toto argumento ponitur tantum minoris probatio in illustri exemplo. Huc pertinet præclarum illud dictum Ambrosij: Gratia Dei aut tota suscipitur aut tota reijcitur. Proinde qui partem mereri uult operibus & partem habere ex gratia is totam gratiam abijcit. Hic primum obseruetur quàm horrendum sacrilegium sit Pseudoapostolorum, atq; adeo omnium qui uolunt ulla salutis subsidia in ullo alio reponere quàm in solo Christo. Apostolus noster Romanis scribens testatur Israëlitas fuisse reiectos, propterea quòd uoluerint iusticiam ex operibus & fide

com-

cōponere, ita enim ait: ignorantes Dei iusticiam, et propriam quærentes stabilire, iusticiæ Dei non fuerunt subiecti. Finis enim legis Christus in iusticiam omni credenti. Similiter ad Philip: 3. affirmat se Apostolus propriam iusticiam æstimasse, ut excrementa, ut Dei iusticiæ quæ est per fidem fieret particeps. Deinde obseruetur hic quàm abominabilis ingratitudo sit aduersus filium Dei, tam inæstimabilem gratiam, qua Deus nos recipit propter mortem filij, contemnere: quod omnes sanè isti faciunt, qui non omnibus rebus renunciatis in salutis negocio, Christum solum fide amplectuntur iustificatorem & redemtorem.

Nam si per legem est iusticia, sane Christus frustra mortuus est.

Confirmatur superius argumentum à destructo consequente. Si per legem est iusticia (id est, si ulla bona opera lege Dei præcepta nos coram Deo iustos reddunt) Christus est frustra mortuus (aliud enim est satisfactio quæ fit per alium, aliud nostrum opus aut meritum.) Sed Christus non est frustra mortuus. Igitur per legem nequaquam est iusticia. Christus enim ideo mortuus est, & resuscitatus, ut nos credentes redimat à peccato pœnaq; peccati, ut credentes iustificet. Si igitur ulla

portio salutis & iusticiæ tribueretur legi, frustra pro ea consequenda mortuus esset filius Dei. Hic locus obijciatur iusticiarijs & Papistis, qui non totam gratiã Christi recipiunt, sed dimidium salutis operibus ascribunt. Confutatur enim hoc Pauli argumento satisfactionis commentũ, quo tollitur meritum mortis Christi. Neqne ualet quod obijciunt Papistæ dicentes Paulum tantum loqui de lege ceremoniali. Hoc enim manifestißimè argumenti forma refellitur, quæ ostendit totam legem & omnia legis opera intelligenda esse uocabulo legis. Vis enim consequentiæ, & à parte legis & à tota lege eadem est. Siquidem siue per legem moralem, siue per legem ceremonialem, siue per legem iudicialem, siue per totam legem simul est iusticia, Idem absurdum sequitur nempe Christum frustra mortuum esse.

SVMMA CAPITIS TERTII.

OBiurgatis Galatis ob leuitatem suam, docet Apostolus pluribus argumentis non ex operibus sed ex fide tantum contingere iusticiam. potißimum autem urget exemplum Abrahæ, affirmans indignum esse quicquam immutare in Dei testamento præsertim cum nemo audeat uel hominis testamentum mutare.

Ordo

ORDO ET PARTES CAP: TERTII.

QVia in fine superioris capitis firmißimis argumentis propositionem de fidei iustificatione confirmauit, nunc more Prophetico & Apostolico doctrinam auditoribus accommodat, obiurgando Galatas ob defectionem ab Euangelio. Taxat igitur Apostolus in principio huius capitis Galatas, eò quòd à doctrina Euangelij, quam à Paulo acceperant per Pseudoapostolos decepti defecerint. Obiurgationi subiungit noua argumenta, quibus propositio confirmata in secundo capite ualidius roboratur. Diluit quoq; obiectiones quatuor quas iusticiarij contra doctrinam fidei adferre poterant. In harum dilutionum obiectionibus sæpè aduersariorum argumenta inuertit, eaq; trahit, ut artifex ad suæ propositionis confirmationem. Atq; ita in summa, huius capitis tres erunt partes principales, obiurgatio, confirmatio propositionis de gratuita iustificatione, & confutatio aduersariæ sententiæ: de quibus in Exegesi capitis plura dicenda sunt.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

O ſtulti Galatæ, quis uos faſci-
nauit, ut non crederetis ueritati: an-
te quorum oculos Ieſus Chriſtus de-
pictus eſt in uobis crucifixus.

*Obiurgatio eſt commodè, ut dixi, interpo-
ſita: quæ abſoluitur quidem propoſitione,
& ratione: acrior uerò redditur, & uehemen-
tior interrogatione, alijſq; tropis ad ἐνάργειαν
lucemq; rei facientibus. Obiurgatio autem ipſa
hoc Syllogiſmo clauditur. Merito ſtultitiæ ac-
cuſandi ſunt, qui ſaluatore Chriſto cognito, &
fide ſemel recepto, ſinunt ſe decipi per falſos
prædicatores, ut ueritati non obtemperent: hoc
eſt, ut deficiant à Chriſti uera iuſticia, quam ha-
bent per fidem, ad legis iuſticiam: Partem uide-
licet iuſticiæ in operibus legis collocantes. Vos
Galatæ Chriſto ſaluatore cognito & fide ſemel
recepto ſiuiſtis uos decipi per falſos prædicato-
res, ut ueritati non obtemperetis. Merito igi-
tur uos Galatæ ſtultitiæ accuſandi eſtis. Con-
cluſio primo loco ponitur, ut propoſitio. De-
inde minor additur: ex quibus maior facilè col-
ligitur. Hæc obiurgatio grauiſſimas continet ad-
monitiones: quarum prima eſt, quòd illuſio quæ-
dam Satanica ſit, & ſpirituale faſcinum finge-
re iuſticiam qua iuſtificamur coram Deo, conſta-*

re fide

re fide & operibus, simul tanquam causis neces-
sario concurrentibus ad iusticiam, uel, ut parti-
bus ex quibus componatur iusticia. Secunda, quòd 2
hostes ueritatis sint, & omnino infideles quot-
quot Christo prius cognito ac fide recepto, iam
ad opera se conuertunt, tanquam adminicula
perficiendæ & consumendo iusticiæ, qua iusti
coram Deo constituantur. Tertia, quòd pij hac 3
spirituali prudentia in omnibus negocijs ad sa-
lutem spectantibus præditi esse debent, ut amus-
sim uerbi Dei, & non suam carnalem sapientiam
sequantur. Quod si hodie multi facerent, non so-
lum status Reipub: Ecclesiasticæ tranquillior es-
set, uerumetiam hostibus Ecclesiæ minor calum-
niandi occasio per inquieta & superba ingenia
præberetur. Quarta, quòd piorum ministro- 4
rum uerbi sit, adeoq; omnium piorum, erro-
ribus irasci, eosq; qui errant seuerius obiurga-
re, ut reuocentur in uiam, qui quauis ratione
aberrarunt. Hoc cum faciunt sancti, nequa-
quam ipsorum ira culpanda est, ut uitium, sed
potius laudanda, ut necessaria uirtus, præsertim
si procedat à bono animo moderatè ad bonum
finem, uidelicet, ad gloriam Dei & salutem eius
qui obiurgatur. Porrò de Tropis quibus hic usus
est Paulus quædam adijcienda uidentur. Primum
hic fascinandi uerbum occurrit. Est autem
fascinare propriè uel malefico aspectu lædere,

1 ut in illo Vergilij: Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos: Vel pestifera laudatione rebus exitium adferre. Vnde Solinus quædam in terra Aphrica hominum familiæ uoce ac lingua effascinantes, quæ si impensius fortè laudauerint pulcras arbores, segetes lætiores, infantes amenιores, egregiores equos, pecudes pastu ac cultu opimas, emoriantur repentè: Vel est præstigijs sensus ita illudere, ut non cernas ea reuera quæ sunt ante te, sed alia esse putes. Huius rei exemplum uidere est in Vitis patrum, ubi legitur de Sancto Machario quod oratione sua impetrauerit tolli fascinum à parentum oculis, qui filiam suam in uaccam putarunt esse conuersam. Nam non nisi uaccæ forma apparebat oculis eorum. Cum tamen Macharius eam ad se adductam pulcram agnouerit uirginem, & non uaccam. Hinc fascinatio illusio sensuum est: unde fit, ut aliquis uel non aduertat quæ sunt ante ipsum, uel alia esse existimet, quàm sunt reuera. Hinc Paulus transfert uocabulum ad spirituale fascinum quod opponit ueritati Euangelij, ut quæ ex aduerso cum fascino ille spiritus pugnat, Quisquis igitur uel rectè edoctus seducitur, uel alioqui falsis opinionibus imbuitur, spirituali quodam fascino illuditur, ut fascinum spirituale sit illusio mentis qua fit, ut pro ueritate, errores homines amplectantur.

2 Deinde, cum dicit Apostolus Christum præ oculis Ga-

lis Galatarum depictum et inter eos crucifixum, manifestus est tropus. Nam id non manibus Iudæorum sed prædicatione efficaci de meritis Christi factum esse perspicuum est. Præcipuè autem meminit crucis, ut materiam iustificationis nostræ & λύτρον pro peccatis nostris solutum ostendat esse uictimam Iesu Christi, cuius uictimæ tum demum participes efficimur, quando in Christum crucifixum solida fide recumbimus. Hinc concluditur ex operibus nostris non constare iusticiam qua coram Deo consistimus & iusti habemur. Nullum enim aliud meritum est, huius rei, id est, iustitiæ consequendæ quam unica Christi uictima. Deinde monentur hoc loco ministri Euangelij sui officij esse, Christum ita prædicando depingere, ut auditores uerè sibi Christum crucifixum sentiant: Quod tum demum fit, quando in conscientijs hominum penetrant efficaci & syncera uerbi prædicatione. Contrà autem qui adulterant crucis Christi doctrinam, diabolico fascino suos illudunt auditores.

Hoc solum à uobis uolo discere: ex operibus legis spiritum accepistis an ex auditu fidei?

Redit ad confirmationem propositionis, nimirum quòd non operibus legis sed fide Christi iusti-

iustificetur homo. Argumentum autem hoc à testimonio spiritus sancti sumtum est, quod in hanc formam commodè includi potest. Illa re iustificamur, qua spiritus sanctus testatur nos iustificari: Spiritus sanctus autem testatur fide iustificari homines, & non operibus. Ergo fides & non opera iustificat. Pro argumento toto ponitur minoris probatio ab experientia Galatarum sumta. Galatæ enim credentes sine operibus, obsignationem iusticiæ acceperunt spiritum sanctum, Quare spiritus sanctus euidenter testatur homines fide & non operibus iustificari. Est enim spiritus sanctus Arrhabo hæreditatis in redemtionem acquisitæ possessionis in laudem gloriæ Dei ad Ephes: 1.

Adeo stulti estis? cum spiritu inceperitis nunc carne consumamini?

Aliud argumentum ab absurdo, Qui à spiritu exorsus carne uult consumari seu perfici uerè amens & stultus est. Quid enim stultius quàm à melioribus ceptis ad deteriora progredi? Qui fide in Christum iustificari se primum statuit & nunc uult eam iusticiam operibus perficere, ac si imperfecta esset, nisi accederet operum iusticia,

hic à ſpiritu ſancto exorſus carne uult perfici. Quicunque igitur fide in Chriſtum iuſtificari ſe primum ſtatuit, & nunc uult eam iuſticiam abſolutiorem per opera reddere, is uere amens & ſtultus eſt, Porrò per ſpiritum Metonymicos intelligit Apoſtolus gratiam Euangelicam, quam ſpiritus obſignat in cordibus ardentium, hoc eſt, ſpiritualem Euangelij efficaciam, qua interior homo gignitur per ſpiritum ſanctum, & perficitur. Huic ſpiritui opponit Paulus carnem, id eſt, ceremonialia opera, adeoq; totam legem, ſeu merita operum locus hic inprimis obſeruandus eſt, ut qui ſummam doctrinæ Pſeudoapoſtolorum haud obſcure nobis ob oculos ponat. Erat enim Pſeudoapoſtolorum doctrina tribuere legi profectionem iuſticiæ. Nam cum dicerent Chriſtum nihil prodeſſe, niſi accederet circumciſio, legem ſanè Chriſto non modo conferebent, ſed etiam præferebant: cum Chriſto tantum initium, legi perfectionem iuſticiæ tribuerent: ut qui ſalutem quærerent in iuſticia non imputata, ſeu inhærente, ut hodie Papiſtæ faciunt: Perinde igitur fecerunt Pſeudoapoſtoli tribuentes legi perfectionem, ac ſi quis, qui à luce cœpiſſet illuminari, ad perficiendam lucem tenebras accerſeret. An non talis merito Amentiæ ac ſummæ ſtultitiæ accuſaretur.

Tanta paſsi eſtis fruſtra? ſi tamen & fruſtra.

Argumentum ab incommodo ſumtum. Qui multa paßi ſunt pro defenſione iuſticiæ fidei, & poſtea prolabuntur ad operum iuſticiam fruſtra & temere paßi eſſe uidentur. Vos Galatæ multa paßi eſtis ab hoſtibus Euangelij pro defenſione gratuitæ iuſticiæ, & nunc ad operum iuſticiam prolabimini, fruſtra igitur tanta paßi eſſe uidemini. Proinde temeritatis magnæ eſt, relicta fidei iuſticia, ad operum iuſticiam prolabi. Sola argumenti concluſio expreßè ponitur, factum autem Galatarum pro argumento ſumendum eſt. Locus hic obſeruandus eſt, quod crux iuſti, niſi quis in iuſticia perſeuerauerit, fruſtra ſit ſuſcepta. Verùm, ſi ad iuſtitiam per pœnitentiam redierit, Dominus, qua eſt bonitate, priorem crucem abundè compenſabit. Huc pertinet correctio quam ſubijcit Apoſtolus. Si tamen & fruſtra, *hac enim correctione Galatas iterum erigit, monetq; ut meliorem ſpem concipiant modo erroris eos pœnituerit. Locus proinde hic monet obiurgationes & caſtigationes piorum paſtorum eò deſtinatas eſſe, ut non adigant lapſos ad deſperationem, ſed potius ut eos excitent ad reſipiſcentiam: quo pœnas commeritas effugere poßint.*

Qui

Qui ergo subministrat uobis spiritum & operatur in uobis uirtutes ex operibus legis an ex auditu fidei hoc facit?

Argumentum hoc à signo sumtum est. Dona edendi miracula consequuti estis per prædicationem fidei & non operum: Ergo certum inditium est, ex fide & non ex operibus esse iusticiam, finis enim miraculorum fuit confirmatio doctrinæ: Qua confirmata miracula quidem cessare debuerunt. Vsus uero nequaquam: quo circa cum nos eandem doctrinam docemus, quam Paulus & reliqui Apostoli docueruntt sciamus doctrinam nostram miraculis ab illis editis confirmatam esse, adeo ut non sit opus miraculis nouis ad doctrinam nostram confirmandam. Quare non miremur calumniam Papistarum qui obijciunt nobis, quòd nostra doctrina nullis confirmetur miraculis. Proinde si quis quærat cur hodiè etiam non ædantur miracula, præter ea quæ dicta sunt, audiat Augustinum, in hunc modum respondentem. Nec miracula illa durare ad nostra tempora permissa sunt, ne animus semper uisibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubium esse debet, ijs esse credendum, qui cum ea prædicarent quæ pauci

 asse-

assequuntur se tamen sequendos populo persuadere potuerunt.

Quemadmodum Abraham credidit Deo & imputatum est illi in iusticiam.

Aliud argumentum est ab exemplo ductum: quod ideo ualet, quia & Abraham typus fuit iustificandorum: qui omnes uno eodemq; modo iustificantur: Et exemplo approbato in subiecto, approbatur res in genere. Vnde rectè ab exemplo per locum coniugatorum concluditur. Abraham credens Deo & non operans est iustus reputatus apud Deum, Ergo iusticia quæ ualet apud Deum est ex fide & non ex operibus. Hoc argumentum copiosè exponitur & illustratur. Ad Roman: 4. Hic primum diligenter obseruandum est, cur fides dicatur imputari ad iusticiam. Non enim ita accipiendum est, ac si fides ipsa in se qua creditur Euangelio, reputetur pro iusticia, qua scilicet ita iustus sit aliquis, ut illi Deus propter hanc iusticiam uitam æternam sit daturus. Quasi qualitas fidei tanto premio digna esset: sed ita potius intelligendum est, quod fides reputetur pro iusticia, quatenus illa prehendit iusticiam alienam, nempe Christi, eamq; ut suam amplectitur. Est enim fides non causa, sed instrumentum, quo oblata

promißio salutis accipitur, & poßidetur. Hoc apertißimè significatur adducto testimonio. Credidit Abraham Deo, scilicet offerenti sibi gratiam in promisso semine. Hæc fides imputari dicitur Abraham ad iusticiam. Proinde cum fides dicitur imputari ad iusticiam, ad obiectum respicere oportet: quod intuetur fides, & materia iusticiæ in obiecto quærenda est, & non in qualitate fidei. Ita enim Paulus alibi ait: 2 cor: 5
Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso. Nam ut in Adam iniusti & rei sumus, ita in Christo iusti & absoluti à reatu sumus quando in Christum firma fide recumbimus. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic etiam per obedientiam unius iusti constituentur multi.

Porrò hic duabus calumnijs necessario occurrendum uidetur. Quarum una Iudaica est, altera Papistica. Iudæi accusant Paulum malæ fidei in citando testimonio ex Geneseos capite 15. Dicunt enim Iudæi haud rectè torqueri ad Christum & uitam æternam, quod ibi refert Moyses de terrena promißione & multiplicatione seminis super terram. Sed falluntur, perperam enim separant quæ coniungenda erant. Nam fides Abrahæ primum & principaliter respi-

cit in promißionem Dei, qua in fœdus salutis, intercedente semine benedicto, ipse Abraham adoptatus est. Deinde promißionem illam. Et erit semen tuum sicut arena maris includit in promißione adoptionis tanquam partem in toto. Quare cum Abraham credendo oblatam gratiam amplectitur, perspicuum est calumniam Iudaicam uanam esse, nam prouenit ex inscitia promißionis principalis, in qua aliæ comprehenduntur.
2 Altera calumnia Papistarum est, & iustitiariorum, qui Iacobum cum Paulo committunt, ut iusticiam statuant ex fide & operibus simul. Proferunt enim ex Iacobo hæc uerba: uis autem scire ô homo uane quod fides absq; operibus mortua est, Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est? offerens Isaac filium suum super altare, uides quod fides cooperabatur operibus ipsius (id est efficax erat per opera seu obedientiam illius) & ex operibus fides consumata est, & impleta est scriptura quæ dicit, credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad iusticiam, & amicus Dei appellatus est, uidetis quod ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum: hæc Iacobus. Hoc testimonio Iacobi muniti Papistæ, opponunt se proteruè toti Euangelio, abijciunt gratuitam iustificationem, & audacter reijciunt λύτρον & uictimam filij Dei Domini nostri Iesu Christi. Sed hallucinari Papistas

stas craßißimè facillimum est ostendere. Primum omnium obseruandus est scopus Iacobi. Ipse enim nō disputat in eo loco de iustificationis causa, Sed status quæstionis est quo in loco habenda sit fidei profeßio, & iactatio sine operibus, seu emendatione uitæ. Vnde hanc propositionem statuit Iacobus, fides absq; operibus mortua, hoc est, gloriatio seu iactatio fidei cui non adiuncta sunt bona opera, uana & inanis est, non in corde sed in labris residens. Hanc propositionem confirmat ab exemplo Abrahæ, desumto ex uigesimo secundo capite Genesios: ubi manifeste loquitur scriptura, non de iusticia qua iustus est Abraham reputatus fide, sed de declaratione potius iusticiæ: Quam iusticiam quindecim annis ante natum Isaac obtinuerat Abraham, cum crederet promißioni gratuitæ. Cum igitur Papistæ, quocunque se uertant, non poßint efficere ut effectus sit prior sua causa, frustra omnino ex hoc loco Genesios contendunt iustitiam qua iustificamur coram Deo in obedienta operum consistere. Verum quo nihil obscuri studiosis in hac quæstione relinquatur, diligentius examinemus locum Genesios quem Iacobus in confirmationem suæ propositionis adducit.

TEXTVS EX GENESI.

Vocauit

Vocauit Angelus Domini Abraham de cœlo: per memetipsum iuraui, ait Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me. Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli & ueluti arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ. Hactenus Angelus.

Hoc testimonio Iacobus suam confirmat propositionem, ex quo firma demonstratione colligam, quid iustificari ex adducto testimonio poßit in Iacobo significare. Prædicatur Abraham uerbis Angeli propter obedientiam qua paratus fuit ad offerendum filium, Promittitur semen benedictum, promittitur copiosa posteritas & fœlix, nec quicquam aliud in concione Angeli agitur. Cum igitur Iacobus confirmat Abrahamum Iustificatum operibus quia paratus legitur fuisse ad mactandum filium suum Isaac, profectò aliud intelligere non potuit ex adducto testimonio, quam Abraham iustificatum, hoc est, prædicatum, laudatum ornatum, & amplißimma promißione remuneratum propter obedientiam ex fide præstitam. Vnde sequitur iustificationem in Iacobo non esse imputationem iusticiæ, sed declaratio-

nem, idq; per obedientiam ex fide profectam. Quod autem ab exemplo infert Iacobus, uides quod fides cooperatur operibus illius, & operibus illius consumata est, nihil aliud uult, quàm significare opera necessario fidem comitari, atq; fidem consumari operibus, id est, manifestare hominibus seu demonstrari ad homines, per obedientiam erga Deum. Atque ideo fidem sine operibus esse inane spectrum, quod nō meretur fidei appellatiouem. Quod autem addit impleta est scriptura quæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam, nihil aliud uult, quàm significare plenius declaratam esse iusticiam fidei per obedientiam operum. Impleri enim dicuntur, quæ plenius exhibentur, & ostenduntur seu palam fiunt. Hinc iam concludit Iacobus: uidetis quòd ex operibus iustificatur homo (hoc est, ex fructibus agnoscitur & approbatur eius iusticia) & non ex fide tantum, hoc est, nuda & inani cognitione Dei & iactatione fidei. His ita explicatis iuxta analogiam fidei, ex scopi consideratione, & testimonij adducti à Iacobo uero sensu, breuiter colligamus firmam paralogismi Sophistarum Papalium solutionem. Cum igitur inferunt Papistæ, ex hoc loco Iacobi non iustificari homines coram Deo fide sine operibus, quia fides absque operibus mortua est. Respondeamus duplicem Paralogismum committi

& utrumque peccare fallacia æquiuocationis. Primum enim fides in doctrina Pauli de iustificatione non significat noticiam & assensum, sed propriè fiduciam in Deum, quòd uerè uelit nobis præstare quod promisit per Euangelium, sed in Iacobo significat tantum noticiam historiæ, & assensum: id quod quatuor rationibus ex Iacobo desumtis probabo.

PRIMA.

Si fidem, inquit, se quis dicat habere, opera autem non habeat, quid quæso aliud potest Iacobus intelligere per fidem quàm inanem professionem, & iactationem fidei. Vera enim & iustificans fides est qua uiuit iustus, & est efficax ad operandum.

SECVNDA.

Diaboli, inquit, credunt & contremiscunt. Iam autem certum est diabolos nulla fiducia præditos esse, cum nullam omnino salutis promissionem habeant. Quare nullam nisi historiæ, & noticiæ fidem habere possunt diaboli. Quod autem dicat eos Iacobus ex fide contremiscere, significat certissimam expectationem diabolorum, qua exspectant iudicium futurum in omnes reprobos. Pugnat ergo contremiscendi uocabulum cum pro-

proprietate fidei, quæ est consolari eorum conscientias, qui uerè credunt & certam expectant liberationem ab omnibus malis, & beatam immortalitatem.

TERTIA.

Iacobus fidem, de qua loquitur, mortuam esse pronunciat eamq; confert corpori sine spiritu: Iam autem ex Paulo constat uerè credentes in fide filij Dei uiuere.

QVARTA.

Tu, inquit, credis quoniam unus est Deus. Ita autem credere est tantum historiæ noticiam habere, qua homines non iustificari haud mirum est.

OBIECTIO.

Cur ergo, inquies, Iacobus ita utitur uoce fidei? an ueræ fidei uim ignorat Iacobus? Respondeo. Iacobus loquitur ex hypothesi hypocritarum & per concessionem Rhetoricam καταχρηστικῶς uocabulo fidei utitur, ut hac ratione confutet sui seculi uanos fidei iactatores.

Alter paralogismus est in uoce iustificandi. 2
Paulus enim de iustificatione imputationis, hoc est, quæ est imputatio iusticiæ coram Deo. Iacobus au-

bus autem de iustificatione declarationis, hoc est, quæ est declaratio iusticiæ coram hominibus loquitur, quemadmodum suprà copiosius declarauimus. Cùm igitur sensu differunt propositiones Pauli & Iacobi, malignè faciunt Sophistæ, qui fingunt Iacobum aduersari Paulo, hoc est, qui mentiuntur spiritum sanctum sibijpsi contrarium esse, cum nemo pius dubitet quin uterque ex eodem spiritu sit loquutus.

His ita breuiter notatis exemplum Abrahæ altius perpendamus, & simul totam historiam de Abrahamo apud animum colligamus. Nam cum illi filij Abrahæ sunt qui insistunt uestigijs Abrahæ, par est, ut tota ipsius nobis, ut norma uitæ, proponatur. Primum itaque obseruandum est in exemplo Abrahæ quomodo Apostolus inde extruxerit gratuitam iustificationem de qua iam dictum est. Deinde circumstantiæ iustificati Abrahæ expendendæ sunt quæ non paucos locos de uita Christiana continent, ex quibus præcipuos recitabo,

1 Primus, quòd profeßio uitæ Abrahæ ante iustificationem testetur ipsum nullis meritis aut præparantibus operibus à Deo receptum esse, sed sola bonitate Dei eaq; gratuita. Nam antequam uoce Dei de Hur Caldæorum uocatus est, Caldaicis erroribus imbutus fuit.

Secundus quòd circumcisio non necessario re- 2
quiratur ad iustificationem. Est enim Abraham
ante circumcisionem iustus à Deo pronunciatus,
propterea quod crediderit Deo promittenti sibi
semen ex gratuita sua bonitate, in quo benedi-
centur omnes nationes terræ. Nam cum impos-
sibile sit ut effectus sit prior sua causa, fieri ne-
quaquam potest ut circumcisio sit causa iustifi-
cationis Abrahæ, cum multis annis ante manda-
tam circumcisionem sit fide iustificatus. Hanc
circumstantiam etiam Paulus Apostolus urget ad
Roma. 4.

Tertius, quod iusticia fidei ad omnes promis- 3
cuè pertineat. Est enim Abraham fide iustifica-
tus antequam constituta est Iudaica Respublica,
& antequam ullis notis discreti sunt homines.
Ex hac circumstantia Prophetæ absq; dubio con-
ciones de uocatione gentium extruxerunt.

Quartus, quod ritus Mosaici & traditiones 4
humanæ non requirantur à iustificandis. Vt enim
sine illis Abraham est iustificatus, ita qui eius ex-
emplo iustificabuntur ritus Mosaicos non requi-
rant, & multo minus traditiones humanas.

Quintus, quòd sine lege morali & operibus 5
in Decalgo præceptis iustificemur. Nam si Abra-
hæ exemplo iustificamur, & is fuit iustificatus
annis multis ante datam legem, profecto fieri non
potest ut ex lege sit iusticia. Verum si obiicis le-

gem moralem fuisse perpetuam, ideoq; ea non caruisse Abrahamum, Respondeo nullam mercedem operibus deberi, nisi ex pacto Dei. opera enim non sunt intrinseca dignitate meritoria, sed acceptione Dei, & ratione pacti. Stat ergo firma consequentia: Abraham iustificatus est fide promißionis ante editum pactum de operibus. Ergo fide & non operibus iustificatus est.

6 Sextus, Quod uera & iustificans fides habeat adiuncta bona opera, & obedientiam erga Deum quodq; nihil charius Christiano esse debeat quam diuinæ uoluntati obedire. Nam, ut Abraham mandato Dei obediuit cum iuberetur mactare filium, quo nihil in mundo charius habuit. Ita pij parati esse debent propter mandatum Dei ad iugulandos omnes prauos affectus, atque adeo ad componendam totam suam uitam iuxta normam uoluntatis diuinæ.

7 Septimus, Quòd eorum, qui gloriantur de Patre Abraham & non insistunt uestigijs ipsius, uana sit gloriatio.

8 Octauus, ut Abraham est Typus credentium (nam eos qui iustificantur huius exemplo, ut dictum iustificari necesse est) & pater multarum gentium, ita pij unius Abrahæ exemplo contenti sint, nec quicquam moueantur aliorum, nescio quorum patrum, institutis parum ad Regulam uitæ Abrahæ congruentibus. Nam solus Abra-

ham

ham nobis, qui ex gentibus conuertimur, typus & exemplar cum fidei tum obedientiæ erga Deum existit. Ceremoniæ quæ postea additæ sunt, ut ad certum populum nempe Iudaicum pertinebant, Ita adueniente promisso Abrahæ semine cessare omnino debebant, & euanescere non secus atque adueniente sole tenebræ discutiuntur. Iam autem si Ceremoniæ Iudaicæ, quarum autor Deus fuit, nullum Christianũ obligant, multo minus hypocriticæ Monachorum Regulæ, quarum plæræq; ex diametro cum uerbo Dei pugnant, obligationis uim habent. Imò eos qui illis se subijciunt præcipitant in certam damnationem nisi maturè resipiscant.

Nonus, Monet præterea exemplum Abrahæ 9
ut in articulo salutis nostræ, adeoq; in omnibus promißionibus Dei certi simus & immoti nihil plane hæsitantes. Vt enim Abraham nullis rationis aut naturæ argumentis fractus est, quin crederet promittenti Deo, statueretq; ipsim potenter præstare posse, quòd clementer promiserat. Ita nos nihil moueamur argumentis ullis quæ in contrarium promit caro & sanguis. Non igitur dilatio promissorum, non tristißima Ecclesiæ forma, non incidentes ærumnæ & calamitates frangant animos nostros, sed πληροφορίᾳ, hoc est, plenißima fiducia exemplo Abrahæ patris nostri persistamus firmi tribuen-

tes Deo gloriam ueritatis potentiæ & misericordiæ.

10 Decimus, Quod ut pij in hac uita exemplo Abrahæ possunt uti communibus legibus contractuum & aliarum rerum exemplo Abrahæ, Ita communibus casibus sunt obnoxij uarijs periculis, exilio, fami, cruci, adeoque morti ipsi, quæ pijs transitus est ab his ærumnis ad promissam beatitudinem. ~~Hec breuiter dicta~~ sint de hoc Abrahamico exemplo, quod seriò per totam uitam aspicere, meditari, opere precium est omnibus ijs qui de patre Abraham iustè & sine hypocrisi gloriari uolunt.

Cognoscite ergo quod qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.

Infert ex hypothesi thesin, seu exemplum singulare ad genus transfert, & est sensus. Abraham pater credentium iustificatus est fide, Igitur quotquot credunt & filij Abrahæ proptor imitationem fidei existunt, & fide iustificantur, quemadmodum ipse fide est iustificatus. Hoc pacto Paulus ad Roman: 4. accommodat exemplum Abrahæ, ita enim ait: Non est autem scriptum propter illum tantum, quòd reputatum sit illi ad iusticiam, sed etiam propter

nos

nos quibus reputabitur credentibus. Porrò esse ex fide, nihil aliud est, quàm renunciata propria iusticia diuinis promißionibus gratiæ niti, ad Roman: 4. Credenti & non operanti reputatur fides ad iusticiam. Deinde hic obseruemus uerißimam & immotam definitionem filiorum Abrahæ, hoc est, hæredum gratuitæ iustificationis quæ in Abrahamico exemplo conspicitur. Nam hac formula qui ex fide sunt, id est, uerè credentes promißioni gratuitæ, ut Abraham fecit, tanquam certa definitione comprehendit Apostolus filios Abrahæ siue circumcisi sunt siue non: quos ad Roma. 9. cap. filios promißionis nominat propter obiectum fidei qui credit promißioni.

Præuidens autem scriptura quod ex fide iustificet gentes Deus antequam Euangelizauit Abrahæ: benedicentur in te omnes gentes.

Accommodati onem exempli probat testimonio scripturæ. Est autem Entimematica probatio. Priori loco consequens, posteriori antecedens ponitur. Forma autem Dialectica hæc est, Omnes gentes benedicentur in te (hoc est, non per te sed

quia in filijs tuis cenſebuntur omnes credentes, uel in te, hoc eſt, cum te ſiue tuo exemplo. Ita enim Beth præpoſitio ſæpiſſimè exponi debet) Sed Abraham eſt fide benedictus adeoq; iuſtificatus. Ergo & gentes ex fide iuſtificantur & non ex operibus. Quod autem dicit Apoſtolus, Ante Euangelizauit ſignificat doctrinam gratuitæ iuſtificationis Abrahamo patefactam fuiſſe. Non eſt igitur noua doctrina Euangelium de gratuita iuſtificatione, ut calumniabantur Pſeudoapoſtoli, ſed longè ante exhibitum Chriſtum in carne fuiſſe hominibus commendatam.

Igitur qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abraham.

Illatio generalis argumenti ducti ab exemplo Abrahæ. ~~Primum enim~~ accommodauit Apoſtolus exemplum Abrahæ ad genus, ~~Deinde ac~~commodationem probauit ſcripturæ teſtimonio, Iam in genere concludit credentes benedici, adeoq; iuſtificari cum fideli Abraham (ita enim Paulus hoc loco interpretatur quod ſupra dixit in te) hoc eſt, quemadmodum Abraham credens iuſtificatus eſt, Ita etiam gentes credentes iuſtificari: atque ideo non ſimpliciter dixit benedicuntur cum Abraham, ſed cum addito benedicuntur cum fideli Abraham, ſignificans fidem eſſe inſtru-

mentum

mentum quo oblata benedictio recipitur: quæ benedictio hoc loco non aliud eſt quam liberatio à maledictione legis, à morte æterna, fauor diuinus gratuitus, atque adeo uita æterna. Nam Paulus diſertè maledictionem benedictioni opponit. Ex hac Pauli concluſione per locum à contrarijs concluditur, quod omnes qui per opera uel diuinæ legis præcepta ſalutem quærunt, diſcedant ab exemplo Abrahæ, et non ſint filij Abrahæ, atq; ideo maneant in ſuis peccatis, & ſub legis maledictione. Non enim conſequuntur remißionem peccatorum, quæ non niſi, iuxta exemplum Abrahæ, fide accipitur & non operibus, id quod clarius adhuc ſequenti argumento demonſtratur.

Quotquot enim ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt, ſcriptum enim eſt: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.

Ratio proximi argumenti, quod diſiunctiuè formari poterit hoc modo. Aut ex fide aut ex operibus eſt benedictio. Non eſt autem ex operibus, Igitur ex fide eſt benedictio adeoq; iu-

sticia & salus ipsa. Quod autem non sit ex operibus benedictio atq; adeo iusticia, probat à contrarijs effectibus seu repugnantibus. Quotquot ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt, atque adeo maledicti. Igitur quotquot ex operibus legis sunt non benedicuntur, nec iustificantur. Antecedens probat testimonio scripturæ, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Hic rursus apertum testimonium habemus, quod Apostolus per opera legis intelligat omnia quæ lege diuina præcepta sunt nobis, & præcipuè opera decalogi. Nam nisi prorsus insanire Sophistis lubet, non dicent promissam uitam gentibus ob Ceremonias, nec denunciatam maledictionem gentibus ob rituum Mosaicorum neglectum. Ceremoniæ enim Mosaicæ & ritus exspirarunt adueniente Domino in carnem. Præterea, qui, stante Repub: Iudaica ex gentibus crediderunt, & dicebantur Relligiosi, non seruarunt ritus Mosaicos ut Iob, Naaman Syrus. Cyrus Persarum & multi alij.

Quod autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide uiuet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo uiuit in eis.

Aliud

Aliud argumentum ex duobus locis, nimirum à pronunciato & repugnantibus petitum. Est autem Epichirema Rhetoricum. Primo enim loco ponitur conclusio: Secundo loco, Maior: Tertio, minor: Quarto, minoris probatio. Redigatur autem argumentum in hanc formam, iustus ex fide uiuit, Qui est ex lege non est ex fide. Igitur qui est ex lege non uiuet. Si non uiuet, neque iustificabitur. Minoris probatio est qui fecerit ea homo uiuet in eis. Vt autem præsens argumentum plenius intelligi poßit, obseruandum est, quòd Paulus hic sumat legem & fidem tanquam duo contraria quo ad effectum iustificandi. Lex enim requirit opera, fides autem meram gratiam spectat. Si ergo iusticia est ex fide, est profecto ex mera gratia. Si est ex mera gratia, iam non est ex operibus. Igitur si iusticia est ex fide, non est ex operibus. Lex enim non spectat fidem in iusticia, sed opera, hoc est, non pronunciat Lex eos iustos esse qui crediderint sed qui fecerint. Sunt proinde prorsus contrariæ duæ istæ uiæ, quia Lex in nobis quærit quod nunquam inuenit ideoq; occidit. At fides accipit ex mera gratia quod nobis deest, hoc est, iusticiam ut nobis, uidelicet imputetur, quæ in solo Christo est, atque hoc respectu fides uiuificat.

Est

Est igitur in hoc uersiculo fundamentum consequutionum superiorum, quæ ex eo firmæ sunt quòd lex & fides, facere & credere, iusticia inhærens & iusticia imputata, gratia & meritum, sint contraria immediata, quo ad iustificationem: in qua requiritur perfecta & omnibus numeris absoluta iusticia, qualis in uno Christo inuenitur cum quo per fidem coalescunt omnes sancti, ac proinde saluantur. Porrò pronunciatum Abacuc explicandum est. Iustus, inquit, ex fide uiuet, hoc est, qui credit promißioni Dei iustus est & uiuet. Duo enim hic tribuit fidei Propheta, uidelicet iustificationem, ut instrumento, & uiuificationem, ut causæ efficienti. Hoc posterius sæpe Metonymicos pro priori ponitur, qui enim iustus est uiuet, & nemo uiuet nisi qui iustus fuerit. Antithesis in Prophetæ uerbis obseruetur. Ecce, inquit, extollit sese is cuius anima non est recta in eo, iustus autem ex sua fide uiuet. Hic iustus ex fide opponitur ei qui se extollit, id est, qui de seipso præsumit, & suis nititur uiribus, is cuius anima non est recta in eo, id est, qui diffidit de Deo nec ad illum confugit. Iustus igitur ex fide desperat de seipso, & sola bonitate Dei nititur: unde & iusticiam & uitam gratis haurit. His ita explicatis argumentum apertius conspicitur: Fides iustificat, Lex non est fides, igitur lex non iustificat. Maior

est

est uera quia Propheta dicit, Iustus ex fide uiuet. Minor probatur quia Lex requirit opera, fides uero gratiam apprehendit.

Confutatio sequitur, in qua diluuntur quatuor obiectiones, quæ contra ea quæ dicta sunt de fide & lege poterant obijci. Atque ita prudenter confutationem instituit Paulus, ut non solùm obiecta aduersariorum diluat, uerum etiam propositionem principalem fortius muniat.

Christus nos redemit de maledictione legis factus pro nobis maledictum (scriptum est enim maledictus omnis qui pendet in ligno) ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, ut promissionem spiritus accipiamus per fidem.

Prolepsis est seu anticipatio primæ obiectionis quæ huiusmodi ex superioribus dictis nascitur: Si lex damnat omnes, qui eam non faciant, & nemo eam facit, an non damnationi legis obnoxij sunt omnes? Respondet Paulus nos liberatos esse à maledictione legis. Continet autem hæc Paulina Responsio quatuor circum-

stantias istius liberationis. Quarum prima est, per quem'nam liberati simus. Secunda quo modo. Tertia, in quem finem. Quarta, quo medio siue quo instrumento illam liberationem per Christum partam consequamur.

1 Prima circumstantia per quem, exponitur hisce uerbis: Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, hoc est, Christus sua satisfactione, qua Deo & legi satisfecit, liberauit nos à sententia damnatoria legis, adeoque ab ipsa legis maledictione. Est autem in hisce Pauli uerbis antanaclasis figura. Priori enim loco maledictum relatiuè siue formaliter accipitur. Posteriori uero significat reatum sine fundamento, & expiationem maledictionis quæ per mortem Domini peracta est.

2 Secunda circumstantia est de modo, ita enim ait Apostolus: Maledictus omnis qui pendet in ligno, Christus pependit in ligno. Igitur Christus est maledictus. Non in se quidem sed quia sustinuit personam nostram, & factus est hostia pro peccato nostro, dum cruci seu ligno affixus est. Nam quod impoßibile erat legi Deus per Filium missum in mundum præstitit. Fuit autem Legi impoßibile homines per eam iustificari, ac liberari à sententia damnatoria legis. Igitur Deus filium fecit hostiam pro pec-

cato,

cato, ut per peccatum damnaret peccatum in carne. Non solùm ut liberaremur à maledictione legis per satisfactionem Christi, Verumetiam ut legis iusticia in nobis impleretur per imputationem obedientiæ Christi, qua satisfit legi, ut Christus sit consumatio legis in iusticiam omni credenti. Habemus paucis expressum fructum paßionis Domini, quæ est Redemptio nostri à maledictione Legis per Christi satisfactionem.

Tertia circumstantia est finis, ut inquit gentibus benedictio Abrahæ contingat in Christo Iesu. Benedictio autem Abrahæ est quæ facta est Abrahæ his uerbis. Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Voce benedictionis intelligitur Sinechdochicos, Remißio peccatorum, iustificatio, adoptio in Filios Dei, donatio spiritus sancti, atque adeo salus ipsa ac uita æterna. 3

Quarta circumstantia instrumenti est quo benedictio illa spiritualis nobis applicatur, Vt, inquit, Promißionem spiritus accipiamus per fidem, fide enim benedictionem illam spiritualem recipimus, oblatam uerbo & Sacramentis. Est & hic Sinechdoche, nam ut supra posuit benedictionem pro iustificatione & alijs donis quæ natura cum benedictione cõiuncta sunt: Ita hic pollicitationem spiritus, id est, promissum spiritum ponit 4

pro

pro peccatorum remißione, iustificatione, & glorificatione. Nam donatio spiritus sancti testimonium est iustificationis cui reliquæ partes quas enumerauimus necessario coniunctæ sunt. Sed quid dicemus? an spiritus sanctus accipitur fide? an non fidem in nobis spiritus sanctus creat ad prædicationem Euangelij? quo modo hæc consistunt? quatenus spiritus sanctus in credentibus habitat & operatur in eis, fide dicitur accipi, non quod eum antea non habuerint, sed quia nunc se prodit apertius, & ostendit efficacius suam præsentiam, dum uidelicet impellit ad spiritus opera sectanda, dum armat animatq; fideles contra carnis opera. Quatenus autem spiritus sanctus per uerbum & sacramenta fidem excitat, cum uerbis & Sacramentis exhibetur & fidem in cordibus creat ordine non tempore præueniens fidem. Porrò hæc primæ obiectionis dilutio continet præcipua nostræ Religionis capita quæ sunt hæc.

Primum, quod lex damnet & obnoxios faciat maledictioni omnes homines, adeo ut nemo sit qui non subijciatur maledictioni legis. Vnde colligitur nequaquam ex lege iusticiam contingere.

Secundum, quod Christus solus nos liberet à legis maledictione, adeo ut Redemtio per illum

facta

facta, nobis contingat ex gratia, & non ex ullo merito.

Tertium, quod modus liberandi nos à maledictione legis non fuerit alius, quàm Christi uictima: quæ est sufficiens λύτρον pro toto humano genere redimendo.

Quartum, quod finis huius liberationis à maledictione legis sit plenißima benedictio & salus credentium.

Quintum, quòd huius beneficij Christi & uictimæ per fidem homines fiant participes.

Sextum ex his omnibus propositionis principalis clarißimam confirmationem colligamus. Nam si lex maledicit, & à legis maledictione per Christum fide apprehensum liberamur, Profecto sequitur non operibus legis sed fide Christi iustificari homines. Qui ergo legis sententia maledictioni subiecti sunt, Christi beneficio iustificati benedicuntur & uitæ æternæ censentur hæredes.

Fratres secundum hominem dico, hominis licet testamentum si modo comprobatum sit, nemo reijcit aut addit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ sunt promißiones &

femini eius, non dicit & feminibus tanquam de multis, fed tanquam de uno, & femini tuo qui eft Chriftus: Hoc autem dico teftamentum antea comprobatum á DEO erga CHRISTVM. Lex quæ poft annos quadringentos & triginta cepit, non facit irritum, ut abroget promifsionem. Nam fi ex lege eft hæreditas, iam non ex promifsione, atqui Abrahæ per promifsionem donauit Deus.

Anticipatio fecundæ obiectionis, quæ huiufmodi eft, poft promißionem factam Abrahamo data eft lex: Ergo promißio aut per legem irrita facta eft prorfus: aut non uidetur fufficere promißio ad iuftificationem & benedictionem confequendam, fed promißioni addendam effe legem, tanquam complementum. Summa refponfionis, hæc eft, nihil eft tam potens ut poßit irritum facere pactum Dei. *Pactum autem* Dei *eft promißio facta* Abrahæ *& femini eius.* (*Ita enim habent promißionis uerba*: Ego ero Deus *tuus & feminis tui*) Ergo *nihil eft tam potens ut poßit hanc promißionem uiolare.* Itaque nec lex

lex data post quadringentos & triginta annos poterit hanc promißionem abolere. Maior probatur per locum à minore ad maius, hominis pactum confirmatum, non reijcitur, non abrogatur, nec ei additur quicquam. Ergo multo magis pactum Dei inuiolabile putandum est, ut nec abrogetur, nec ei aliquid adijciatur. Verum hoc fieret irritum & abrogaretur si ex lege esset hæreditas (hæreditatis nomine Synecbdochicos complectitur Paulus ipsam benedictionem, adeoq; iustificationem & glorificationem.) Et si lex lex addenda esset promißioni, tanquam complementum, adijceretur aliquid pacto prius à Deo confirmato. Hinc iam ex repugnantibus concludit Paulus in hunc modum confirmans superius argumentum. Nam si ex Lege, inquit, est hæreditas iam non est ex promißione gratuita. Sed hæreditas est ex promißione. Ergo non est ex lege. Maior expreßè ponitur, loco aßumptionis confirmatio ponitur: uidelicet, atque Abrahæ per promißionem donauit Deus. Locus hic obseruandus est contra eos qui pactum Dei de gratuita iustificatione infringere conantur: quorum alij in operibus legis, alij in traditionibus humanis iusticiam ponunt. Hi enim omnes & Christo suum honorem detrahunt, & DEVM quodammodo inconstantiæ accusant: Confutantur & hic Papistæ,

qui per legem intelligunt tantum Ceremonias Mosaicas. Nam eadem est ratio consequutionis. Sicut enim ex lege Morali, siue ex quacunque alia est hæreditas, non est ex promißione, id est, ex gratia Dei per fidem. Lex enim homines respicit, eorumque opera. Promißio autem gratiam Dei & fidem in Christum intuetur. Porrò hoc loco duæ calumniæ necessario refutandæ sunt, quarum una Iudaica est, Altera Papistica. Vt autem Iudaica rectè dissoluatur, obseruanda est scripturæ consuetudo. Sæpe enim cum de toto corpore Ecclesiæ agitur, Christus ueluti in medio collocatur, qui omnes Dei filios comprehendit Sinechdochicos. Nam non totam liberorum multitudinem qui ab Abraham orti sunt comprehendit scriptura cum benedictionis & promißionis meminit, sed tantum eos qui insistunt uestigijs patris nostri Abrahæ, qui seminis nomine censentur in Christo, qui est caput, reliqua in se membra continens. In Christo enim connectitur uniuersum semen atque indissolubili nexu coniungitur. Quando igitur cauillantur Iudæi explicationem Pauli urgentis singularem numerum, cum constet seminis uocabulum in Genesi collectiue accipi. Quemadmodum disertè textus ait. Erit semen tuum sicut arena maris & stellæ cœli, Respondendum est Paulum non loqui

loqui de uno homine sed de uno genere seminis. Distinguendum est enim inter semen carnis, & semen promißionis. Paulus itaque hic excludit semen carnis tantum, & in Christo, ut in Capite, semen promißionis ad quod solum pertinet promißio comprehendit. Ita enim primæ Corinth. 12. Christi nomen tribuitur uniuerso fidelium cœtui ubi disserit de unione, adducta similitudine corporis humani, quam similitudinem accommodat his uerbis: Ita & Christus. Hic manifestè Christi nomen tribuitur omnibus fidelibus, qui Christo tanquam capiti membra adhærent. Papistica calumnia hæc est, quòd ex hoc loco Pauli contendant legem in tota hac disputatione de iustificatione tantum Ceremonias respicere & non legem moralem. Nam hanc clamitant promißionem factam Abrahæ præceßisse, ut quæ creata una cum homine sit: atque ideo inferunt, aut uanam esse hanc Pauli argumentationem, aut contra solas Ceremonias ualere. His, quemadmodum superius etiam annotatum est, in hunc modum respondere licet. Vbi nullum pactum interuenit, ibi nullum acceptationis testimonium est. Sed dum facta est promißio Abrahæ, nullum pactum fuit de iusticia operum. Igitur nullum extitit acceptationis operum testimonium. Non enim opera, ut ipsi Papistæ nobiscum fatentur, intrinseca dig-

nitate meritoria sunt, sed acceptatione Dei & ratione pacti.

Quid igitur lex? transgressionum gratiæ addita fuit, donec ueniret semen cui promissum erat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris, Mediator autem unius non est, Deus uero unus est.

Tertia obiectio est. Si Lex non iustificat, cur ergo data? Videtur sane frustra data esse. Respondet Paulus, Legem non esse frustra datam sed habere suum usum, addita enim est propter transgreßiones, non quidem tollendas sed reuelandas: ut isto pacto homines deueniant in agnitionem sui peccati, & commeritæ damnationis: Vnde & ad promissum semen impellantur, sine quo à Legis maledictione nemo liberari potest. Atque hoc est, quod additur: donec ueniret semen cui promissum fuerat, quasi dicat Lex subseruit promißioni, ut homines coërceat usque ad aduentum seminis promißi. Loquitur autem hic Paulus de tota lege & externa illa tota administratione qua uetus populus regebatur usque ad exhibitum Meßiam. Porrò quod nunc in Ecclesia retineatur lex Moralis plures sunt causæ,

de

de quibus postea pluribus dicetur. Quod autem sequitur ordinata per Angelos in manu Mediatoris, scilicet Mosis, solus Lutherus appositißime explicans digreßiunculam esse dicit, in qua discrimen facit Paulus legis & promißionis seu Euangelij. Est autem hæc summa discriminis. Lex data est per Angelos in manu Mosis Mediatoris. Euangelium autem per Christum eundemq; Mediatorem. Quare Euangelium excellere legem dubium non est. Quod autem additur mediator autem unius non est, non tantum de Mose, sed in genere intelligendum est. Quemadmodum enim Moses ueteris pacti mediator fuit. Ita Christus noui pacti inter Deum offensum & hominem offendentem mediator existit. Vnde Euangelij & promißionis dignitas apparet. Quod sequitur, Deus autem unus est, facit ad confirmationem superiorum. Perinde ergo ualet ac si diceret Deus semper manet sui similis. Quod ergo semel decreuit non mutat. Proinde nequaquam existimandum est, quòd Lex abroget promißionem Abrahæ factam.

Num lex igitur aduersus promissa Dei: Absit. Nam si data esset Lex quæ uiuificare posset uere ex

lege esset iusticia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Quarta obiectio cum dilutione. Si lex damnat & promißio gratuitam offert salutem, promißio uidetur esse contra legem & lex contra promißionem. Respondet & hic Paulus à fine legis, & ostendit quòd promißio reddatur illustrior ministerio legis. Atque in hunc modum argumentatur à destructione antecedentis ad destructionem consequentis. Si Lex data esset quæ posset uiuificare, hoc est, iustificare uerè ex lege esset iusticia. Sed lex non data est quæ potest uiuificare. Ergo ex lege non est iusticia. Probatur assumtio à contrario effectu. Lex conclusit omnia sub peccatum, Igitur lex non liberat à peccato nec uiuificat. Sed cur ita? ut promißio ex fide Iesu Christi, id est, ex fide in Iesum Christum daretur credentibus, id est, ut credentes fide consequerentur promissam Iusticiam & remißionem peccatorum.

Prius autem quam ueniret fides sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat.

erat. Itaque lex Pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur.

Exegesis est, superiorem enim sententiam de usu legis exponit clarius idq; duplici similitudine, Primum enim legem carceri comparat, deinde Pædagogo, utraq; aptissimè usum legis commonstrat. Vt autem hæ similitudines rectius intelligantur, quid lex quidq; fides hoc loco significet notandum est. Lex itaque hoc loco neque legem moralem tantum, neque Ceremonias, & iudicia, sed totum Regimen & politiam Mosis, quæ lege Dei constituta fuit significat, Fides autem hic significat obiectum fidei nempe Christum, in quem credimus iam exhibitum & manifestatum in carne, siue tempus ipsum notat noui testamenti, quo clarior quædam gratiæ Dei reuelatio per prædicationem & uictimam Messiæ contigit. His cognitis apertiores reddentur similitudines propositæ in hunc modum. Quemadmodum carcer se habet ad captiuum, Ita lex Mosaica ad populum Israëliticum, Sed captiuus è carcere eripitur & liberatur dato pro seipso λύτρῳ, hoc est, pretio capitis. Ergo & populus Dei à iure legis Mosaicæ liberatur adueniente Christo qui λύτρον persoluit. Hæc prior similitudo totius politiæ Mosaicæ certum

tempus fuisse nimirum usque ad Christum exhibitum docet. Vnde iam colligitur exhibito Christo non debere ullos adigi ad politiam Mosaicam seu ritus legales seruandos. In hunc modum explicata similitudine, sensus uerborum Pauli clarior efficitur. Antequam, inquit, ueniret fides, hoc est, clarior gratiæ reuelatio exhibito Christo sub lege, id est, sub regimine & Politia Mosis custodiebamur in eam fidem quæ reuelanda erat, id est, usque ad tempus exhibiti Christi in quo fides clarior extitit. Neque hic patribus adimitur fides, sed tantummodo significatur clarius coramque repræsentari nobis, quod populo legis per Ceremonias, totiusque Politiæ Mosaicæ statum obscurius adumbratum fuit. Non est ergo discrimen inter fidem patrum & nostram in obiecto, sed in modo tantum. Nam ut illi in Christum exhibendum crediderunt, ita nos in exhibitum credimus, atque ita illustrior est nostra fides quam illorum. Quod enim illi in figuris habuerunt, id nos reipsa poßidemus. Altera similitudo seu comparatio hæc est: Quemadmodum pædagogus se habet ad discipulos, ita se habet lex ad populum Iudaicum, sed Pædagogo certum moderationis tempus præfinitum est, nimirum tempus pueritiæ. Proinde & Lex præfinito tempore cessare debuit. Tempus autem legis durabat tantum usque ad Christum.

Igitur

Igitur Christo exhibito lex non amplius obligat homines (intelligendum est hic legis uocabulum totam Mosaicam administrationem complecti, ut supra admonui) idque ideo ut ex fide iustificaremur, quemadmodum Paulus hic apertè subiungit. Sed quomodo lex fuerit Pædagogus usque ad CHRISTVM, & utrum adhuc aliquo munere fungatur, tum quomodo abrogatam esse legem intelligendum sit, paucis explicandum uidetur. Quomodo Lex fuerit Pædagogus ad Christum in partibus legis & earum finibus clarè perspici potest. Partes legis recitantur tres, præcepta seu mores, iudicia, Ceremoniæ. Præcepta itaque cum normam ueræ iusticiæ & uoluntatis DEI commonstrabant hominibus, & cum iniusticiæ homines accusabant, simul admonebant alibi quærendam esse iusticiam, si modo maledictionis sententiam, quam lex in omnes trangressores pronunciat, euadere uellent. Vnde, tametsi obscurius, ad Christum quærendum homines per legem impellebantur. Nam dum propria experientia teste, legis iusticiam assequi non possent, & Meßiam adducturum æternam iusticiam audirent, nisi perire mallent confugerent ad quærendam Meßiæ iusticiam, quæ sola fide accipienda erat. Vnde hæc confeßio Danielis, tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Iudicii Dan: 9
Mosaica

Mosaica minus mihi uidentur ad Christum impulisse nisi quòd communia & crebra errata populi & in delinquentes animaduersiones possint aliquo modo ad erratorum medicum impellere. Ceremoniæ efficacius Christum adumbrarunt, ut circumcisio, ablusiones, sacrificia, ut de alijs taceam. Circumcisio enim, quia fuit signaculum iusticiæ fidei, semen Abrahæ promissum, hoc est, Christum mistice prædicauit. Ablusiones omnes admonebant Iudæos sordium peccatorum abstergendarum per Messiam. Sacrificia Typice uictimam futuram adumbrarunt. Ex his facilè intel-
2 ligi potest utrum adhuc lex Pædagogi aliquo munere fungatur an non. Nam quantum ad ceremonias & Iudicia imò quantum ad totum attinet regimen Mosaicum, nullo nunc prorsus Pædagogi officio lex fungitur. Nam tota œconomia Mosis, adueniente Domino, sublata est. Verum quatenus lex moralis proponit nobis iusticiæ normam, & arguit nos peccati atque etiam ciuili quadam disciplina coërcet carnales, Pædagogus existit & impellit nos, ut quæramus Christum iustificatorem, nisi malimus in peccatis no-
3 stris perire. Hinc etiam facilè constare potest quomodo lex abrogata sit & quomodo non sit abrogata. Lex Moralis duas partes habet. Quarum prima est norma uitæ perpetua. Altera est de promissionibus & comminationibus appendix.

Quid partes legis moral[is] est

dix. Norma uitæ nec in hac uita nec in futura 1
abolebitur. Deus enim perpetuam dilectionem erga se, & suam creaturam suo ordine requirit. Comminationes conuersis sunt abolitæ, iuxta di- 2
ctum Pauli, non sumus sub lege sed sub gratia. Item ad Galatas 3. Christus pro nobis factus est maledictum. Promissiones autem sunt pijs ratæ in Christo. Verum non conuersi legi morali toti cum sua damnatoria sententia obnoxij sunt, iuxta illud, Maledictus est omnis qui non fecerit omnia quæ scripta sunt in libro legis. Lex Ceremonialis Mosis abolita quidem est quo ad usum, sed non quo ad significationem. Nam res quas figurabant ceremoniæ sunt æternæ. Lex iudicialis quo ad usum est libera, potest enim ea magistratus uti uel non uti, prout uisum fuerit sapientibus legislatoribus. At quantum ad significationem attinet, perpetua est. Nam politia Mosis, regni Christi Typus erat.

Adueniente autem fide non amplius sub pædagogo sumus.

Applicatio est posterioris similitudinis quæ supra satis declarata est. Per fidem intellige clariorem gratiæ noticiam, quæ facta est exhibito Christo, sicuti supra etiam annotauimus.

Omnes

Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.

Confutatis obiectionibus redit Apostolus ad confirmationem propositionis, & argumentatur à causarum diuersitate seu differentia. Credentes sunt Filij Dei per fidem, quia in Christo Iesu sunt. Igitur operantes non sunt Filij Dei per legem. Proinde nec lege iustificantur. Locus hic obseruandus est de dignitate hominum credentium Euangelio, sunt enim adoptati in Filios Dei, ac ut membra Iesu Christi censentur coram Deo. Hæc dignitas merito monere unumquemque nostrum deberet, ne quid committeremus Filijs Dei indignum.

Siquidem quicunque baptizati estis in Christum, Christum induistis.

Quomodo Filij Dei fiant credentes ostendit, nimirum cum incorporantur, ut ita dicam Christo, & eius membra fiunt. Cuius incorporationis efficax Symbolum est baptismus, quo promissionis uerbum obsignatur. Symbolica ratio Baptismi alibi explicata est. Obseruetur hic locus de uero usu Baptismi,, qui est admonere nos

fidei

fidei, mortificationis, uiuificationis, regenerationis & innouationis, atque adeo quod simus membra Christi.

Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus neque fœmina: omnes enim uos unus estis in Christo Iesu.

Oportunè omnes homines exæquat in negocio salutis, ut etiam hoc modo iusticiam legi adimat. Sunt autem tria potißimum de quibus homines gloriari solent, & per quæ alij alijs se proponunt. Quorum primum est natio seu propago. Secundum conditio, qua alij liberi alij serui sunt. Tertium sexus. Hæc tria nullum faciunt inter homines discrimen, quantum quidem ad iustificationem attinet. Hæc non impediunt quo minus extra salutis negocium singulis pro ratione donorum & dignitate officij suus honos tribuatur. Locus obseruandus est, continet enim uberrimam consolationem. Clarißimè enim docet, quod nemo à Deo reijciatur uel propter nationis infamiam, uel propter conditionis humilitatem, uel ob sexus imbecillitatem: modo manserit in Christo Iesu.

Sunt tria de quibus homines gloriari solent.

usus

Con-

Concluditur etiam hinc quod spes salutis nostræ & gratia adoptionis, non pendeat ex lege, sed ex misericordia per fidem.

Si autem uos Christi, igitur & semen Abrahæ estis, & secundum promissionem hæredes.

Sorites est per quem colligit iusticiam non esse ex lege sed ex fide promissionis. Prima propositio repetenda est ex superioribus in hunc modum: Quotquot credunt sunt in Christo Iesu. Qui sunt in Christo Iesu sunt semen Abrahæ. Semen Abrahæ ex promissione est hæres. Ergo quotquot credunt sunt hæredes. Vnde consequitur ex lege non esse hæreditatem. Quapropter neque iusticia ex lege esse poterit. Hæreditas enim & iusticia à se inuicem diuelli non possunt. Obseruetur hic in primis definitio seminis seu filiorum Abrahæ. Filij enim Abrahæ non per carnalem prærogatiuam generis, sed per imitationem fidei constituuntur: qui etiam Filij Dei sunt, eò quod per Christum, & in Christo in filios adoptati sunt iuxta dictum Iohan: 1. dedit potestatem Filios Dei fieri ijs qui credunt in nomen eius.

SVMMA CAPITIS QVARTI.

VT paruulus hæres exacto tempore constituto à Patre liberatur à procuratoribus: Ita populus Dei, misso Filio Dei propiciatore peccati, ueluti liber hæres gaudet, legi Mosaicæ nequaquam obnoxius. Hæc res etiam olim figurata fuit in duobus filijs Abraham, Ismaële & Isaac, quorum ille, ex Agar ancilla: hic è matre libera natus est.

ORDO ET PARTES CAPITIS QVARTI.

PRincipium huius quarti Capitis cohæret cum fine tertij. Nam ut in fine tertij nos liberos à lege affirmat per Christi aduentum, ita hic idem similitudine declarat, & Epergasia Rhetorica illustrat. Deinde rursus Prophetico & Apostolico more à doctrina delabitur in monitiones, & exhortationes: post quos allegorica similitudine quod instituit de abrogatione legis claudit. Atque ita hoc quartum Caput tribus partibus absoluitur. Quarum extremæ didacticæ sunt, media uero parenetica.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Dico autem quam diu hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium: Sed sub procuratoribus est & œconomis usque ad præfinitum tempus à patre: Ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.

SImilitudinem sumit à consuetudine ciuili. Quemadmodum hæres se habet ad procuratores & œconomos, ita se habet populus Dei *ad legem. Sed hæres habet suæ subiectionis tempus certum, uidelicet pueritiæ à* Patre *præfinitum. Ergo & populus* Dei *non est perpetuo iugo legis primendus, sed tantum ad tempus à* Deo *constitutum. Porrò sub elementis mundi esse, nihil aliud est, quàm esse sub lege, quemadmodum ex superioribus patet. Nam, ut rudimenta mundanæ scientiæ uiam parant ad solidiorem doctrinam: Ita lex Mosaica ac regimen illud totum, uiam quandam parauit ad solidiorem* Christi *noticiam: quæ per ipsum reuelatum & manifestatum in*

carne contigit. Quare rudimentis istis superatis iam in Christo conquiescamus. Non igitur Paulus hoc loco legem contemnit, sed metaphora, hoc est, implicita similitudine tempus durationis legis expreßit. Quæ similitudo prorsus idem docet quod duæ superiores de carcere & Pædagogo. Quemadmodum enim illis, ita & hac libertatem populi noui testamenti à lege Mosaica docet, ueluti clarißimè applicatio quæ sequitur ostendit.

At ubi uenit plenitudo temporis emisit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem acciperemus. Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantem, Abba pater. Itaque iam non es seruus amplius, sed filius, Si autem filius, & hæres DEI per Christum.

Præterquam quòd accommodat Apostolus clarius similitudinem ad populum noui testamenti, qui Christum exhibitum fide recipit, breuissimo

ſimo quodam ac maxime memorabili Aphoriſmo ordinem noſtræ reparationis ponit ob oculos, quando inquit. Venit plenitudo temporis, id eſt, temporis oportunitas quæ ex ſola prouidentia Dei dependet. Solius enim Dei fuit iudicare & ſtatuere quando expediret maxime filium mittere. Quod quidem tempus obſcurius prædicebatur à Iacobo Patriarcha & clariſſimè ab ipſo Daniele monſtratum eſt. Verum ne quis ignorantiam prætenderet, per Eſaiam Prophetam certiſſima indicia præſentis Meſſiæ indicauit: ex quibus cognoſceretur Meſſiæ præſentia, ad quæ remittit Dominus diſcipulos Iohannis quærentes an is Meſſias eſſet, an alius expectaretur adhuc. Sequitur. Miſit Deus Filium ſuum,
1 Ecce initio ſalutis noſtræ charitas illa Dei ſtatuitur, qua Pater filium ſuum miſit in mundum, ut fieret uictima pro peccatis mundi, ut non pereat ſed habeat uitam æternam quiſquis in eum
2 crediderit. Proximo loco redemtionis meminit, factæ per oblationem Chriſti. Ita enim ait: Factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret. Tertio noſtri
3 adoptionem addit cum inquit: ut adoptionem acciperemus, hoc eſt, ut Filij Dei fieremus.
4 Quartò miſſionis ſpiritus ſancti in corda noſtra meminit, quæ miſſio certiſſimum pignus eſt ad-
5 optionis noſtri. Quinto loco inuocationem patris

tris addit, quæ effectus est spiritus sancti in nobis habitantis. In hoc ordine quæ præcedunt causæ sunt sequentium. Dilectio Dei mittit filium, Filius missus liberat à peccatis. Liberati à peccatis adoptantur in filios. Filij effecti donantur uberiori spiritu. Donati spiritu sancto per eundem, Deum patrem appellare & inuocare audent. Hæc sit breuis rerum huius pericopæ notatio. Nunc quid præterea ex hac pericopa colligendum sit uideamus. Primum, Cum dicit Apostolus Deum emisisse Filium, significat Filium Dei antea fuisse quàm est conceptus in utero uirginis, unde concluditur æterna eius diuinitas. Quòd addit factum ex muliere duo innuit. Primum quod sine uirili semine ex solo semine sexus muliebris sit natus Dominus iuxta promißionem primam & uaticinium Patriarchæ Iacob, & Esaiæ. Deinde quod is qui filius Dei, idem sit Filius hominis, ac uerus homo, una persona in duabus naturis subsistens. Deinde obseruemus mentionem hic fieri trium distinctarum personarum in diuinitate, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Præterea hic textus poterit cuilibet esse quædam probandi norma, qua quilibet poterit de seipso iudicare, atque adeo propriam conscientiam examinare, incipiendo ab ultimo effectu, qui in ordine reparationis nostri hic ponitur. Si enim quis serio inuocat patrem cœlestem ex uera fide

in Filium Dei, inde colligat quod uerè habeat spiritum sanctum in se habitantem Arrabonem hæreditatis nostræ: quòd uerè sit adoptatus à Deo in Filium: Quòd uerè sit liberatus à maledictione legis per uictimam Filij. Deniq; quòd uerè diligatur à Patre in filio eius IESV CHRISTO. Contra uerò si nullus est inuocationis uerus ardor, nullum studium, indicium est minimè fallax absentis Spiritus sancti. Si abest spiritus sanctus, superiora quoque usque ad primum desiderari necesse est. Quod autem subiungitur, ex superioribus facilè intelligi potest, & ex natura relatiuorum & à iure naturæ concluditur. Credentes & inuocantes Deum patrem sunt Filij Dei: Ergo non sunt serui, mancipia peccati. Item Filij Dei sunt hæredes Dei, Ergo & credentes, cum sint Filij, erunt hæredes, scilicet in Christo, cuius membra sunt. Hæc admoneant nos cum dignitatis nostræ, tum puritatis, & sanctimoniæ uitæ. Quid enim indignius est, quàm ut Filij Dei, se ut porci Epicuri contaminent. Porrò in inuocationis forma quatuor sunt obseruanda. Primum, Clamoris uocabulum ad fiduciæ certitudinem exprimendam pertinet. Nimirum quòd credentes non dubitanter, sed intrepidè Deum patrem inuocant, freti non sua, sed mediatoris dignitate. Secundum, Mimesis obseruetur, Nam cum dicit: Abba pater, imitatio est Filij Dei,

Marc:

Marc: 14. *significatur itaque quod omnes per Christum constituantur Filij Dei & per ipsum exaudiantur.* Tertio duplicatio per diuersarum 3 *linguarum uoces, significat per totum mundum diuulgandam esse gratiæ & misericordiæ Dei prædicationem, adeo ut Deus ipse promiscuè omnibus linguis prædicetur & inuocetur. Quarto quod proprius Christianorum cultus sit inuocatio.* 4

Sed tunc quidem cum non cognoueratis Deum, ijs, qui natura non sunt dij, seruiebatis. Nunc autem cum cognoueritis Deum, imo cogniti sitis à Deo. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire uultis?

Altera pars huius capitis quæ obiurgatoria & parenetica est. Nam more Prophetico & Apostolico transit Apostolus à doctrina ad obiurgationes & hortationes, ut doctrinæ ueluti stimulos quosdam addat. Primum itaque hic obiurgat Galatas, & obiurgationem exaggerat comparatione præteriti temporis, quo in ignorantia uixerunt Galatæ ad præsentem gratiæ Dei reuelationem. Sensus autem est, olim ante prædicationem 2 pars cap:

tionem Euangelij fuiſtis Idolatræ corrupti Ethnicis ſuperſtitionibus: At nunc, poſtquam per prædicationem Euangelij uerus Deus ſe uobis reuelauit, & poſtquam ex Euangelio ueram ſalutis uiam didiciſtis, quæ dementia eſt rurſus uerum Deum deſerere, & ad egena Elementa, id eſt, prauas ſuperſtitiones redire? Sed cur Paulus hic uocat Ceremonias Moſaicas egena Elementa? Reſpondeo: Ceremoniæ Moſaicæ, ſacrificia, atque adeo tota lex conſideratur tripliciter. Extra Chriſtum, contra Chriſtum, & in Chriſto. Extra Chriſtum, cum conſuetudinis tantum gratia ſeruantur, aut cum lucri alicuius, aut honoris ratio adhibetur. Hac ratione multi olim inter Iudæos Ceremonias defenderunt, non aliter quàm hodie Papiſtæ ſuas ſuperſtitiones defendunt. Contra Chriſtum, cum obſeruationi iſtorum rituum aliqua iuſticiæ portio tribuitur, ut tempore Pauli circumciſioni, & alijs ritibus Moſaicis tribuerunt iuſticiam, quaſi nemo integrè iuſtificari poßit ſine iſtis adminiculis, quæ opinio pretium ſauguinis Chriſti abolet. In Chriſto, ſed dupliciter, uidelicet, ante Chriſtum exhibitum & poſt Chriſtum manifeſtatum in carne. Ante Chriſtum exhybitum Ceremoniæ Moſaicæ nequaquam fuerunt infirma & egena elementa, ſed pia exercitia commendata hominibus diuinitus. Nam Chriſtum, quem figurabant, quodammodo in ſe conti-

nebant.

nebant. Post Christum manifestatum in carne prorsus exspirarunt Ceremoniæ Mosaicæ, ita ut non amplius sint salutaria piorum exercitia. Ceremoniæ itaq; Mosaicæ consideratæ extra Christum, contra Christum, & post Christum manifestatum in carne, prorsus sunt infirma & egena elementa, quia uita illarum, nempe Christus, ab illis abest. Locus hic obseruandus est, qui docet quòd omnes qui ad traditiones siue ueteres Mosis siue nouas hominum quorumcunq; conuertuntur, ac in ijs aliquam iusticiæ partem collocant, sint idolatræ, nihilo meliores Ethnicis qui idola ficta pro numine coluerunt.

Dies obseruatis & menses & tempora & annos.

Exemplum addit de obseruatione superstitiosa temporum, idq; ideo, ut simile iudicium fiat de obseruatione ciborum, lotionum, circumcisionis, & aliorum rituum Mosaicorum. Porrò quadruplex notanda est temporum obseruatio: uidelicet, Physica, Ciuilis, Ecclesiastica, & superstitiosa. Physica coniuncta est cum naturæ ordine fixo & perpetuo, unde admiranda Dei sapientia & prouidentia colligenda est. Hinc uicissitudines sunt Veris, æstatis, autumni, hyemis &c. Huc & motus corporum cœlestium pertinent. Huius Phy-

sicæ obseruationis pars quædam est medica obseruatio, quæ facit ad corporum humanorum incolumitatem conseruandam. De hac igitur obseruatione tota consulenda est Physica. Ciuilis
2 obseruatio rebus politicis & œconomicis seruit. Nam sine hac actiones forenses & contractus inter homines minime seruari possunt. Ecclesiasti-
3 ca obseruatio planè libera est: quæ docendi, discendi & precandi causa à Christiano populo liberè seruatur absque opinione cultus, meriti, iusticiæ, & necessitatis. Hæc obseruatio etsi in Ecclesia libera est: tamen qui per contemtum Ecclesiæ obseruationes utiles, & facientes ad ædificationem uiolat, reus peragitur ordinis Ecclesiastici in Ecclesia necessarij, quem spiritus sanctus nobis per Apostolum commendat in hunc modum scribens Corinthijs. Omnia fiant ordina-
4 tè & decentur. Superstitiosa temporum obseruatio est, quando opinio cultus, meriti, iusticiæ, et necessitatis accedit. Ab hac obseruatione dependet totus Papatus qui κακοζηλίᾳ quadam, partim Ethnicas, partim Iudaicas superstitiones in Ecclesiã inuexit. Quarum relligione obstringuntur conscientiæ & sinceritas Euangelij tanquam impurissimo cœno turbantur. Atque ideo à Paulo huiusmodi obseruatio iustissimè damnata est. Est igitur diligenter obseruandum discrimen inter utilem dierum obseruationem, & perniciosam seu super-

superstitiosam. Illa enim ædificat, hæc uero destruit. Præterea cum Paulus testatur Ministros Euangelij habere potestatem, ad ædificandum, & non ad destruendum, satis indicat, quòd ut liceat ipsis utilia tempora & festa ordinare in Ecclesia, ita debeant superstitiones, quantum in se est, uoce & autoritate abolere. Ita tamen ut nihil per tumultum, sed ut omnia, matura deliberatione cum ijs quorum interest habita, gerantur,

Timeo de uobis, ne forte erga uos frustra laborauerim.

Amplificat à periculo. Nam hisce uerbis significat eos nullum fructum percepturos ex Euangelio, quotquot traditionibus Mosaicis aut humanis aut ulli rei, præterquam soli Christo, tribuunt uel totam uel partem iusticiæ. Nam hic agit Apostolus aduersus eos qui ritus Mosaicos tanquam complementum iusticiæ Galatis obtrudere uoluerunt. Obseruandus igitur imprimis hic locus est, qui docet frustra laborare ministros Euangelij, ubi ritus Mosaici aut humanæ traditiones cultus gratia defenduntur.

Estote sicut ego, quia & ego sicut uos.

Admo-

Admonet Galatas ut ſint memores mutui officij & analogi, hoc eſt, ut ſe dociles præbeant & amantes ſui: cum ipſe omnia faciat in ipſorum ſalutem. Locus hic obſeruandus eſt de moderanda obiurgatione, ne uidelicet miniſtri Euangelij modum excedant, & remedium in uenenum conuertant. Ita enim miniſtri Euangelij obiurgare debent lapſos, ut non in deſperationem adigant eos, quorum ſalus quærenda fuit, ſed ut in media obiurgatione ſpem ueniæ, ſi modo obiurgati reſipiſcunt polliceantur. Sicuti enim omnia ita etiam obiurgationem ad ædificationem referre debent ſinceri Euangelij præcones, quod tum demum ritè facient, ubi paternum affectum erga Eccleſiam habuerint. Moneat proinde hoc Pauli factum miniſtros uerbi, ut ſe ingenijs auditorum piè accommodent, ac conforment, quoad fieri poteſt, ut auditores intelligant ſe eſſe non ſub rigidis exactoribus ſemper ſuperbas minas æſtuantibus, ſed potius ſub amicis monitoribus & ſalutis ſuæ uerè amantibus: ut qui pio affectu & paterno officium facere uideantur.

Fratres obſecro uos nihil mihi feciſtis iniuriæ, noſtis autem, quòd per imbecillitatem carnis Euangelizauerim uobis prius, & experimentum

tum mei quod erat in carne mea,non pro nihilo habuiſtis , neque reſpuiſtis , ſed me ut Angelum DEI, ut CHRISTVM IESVM recepiſtis.

Anticipat calumniam Pſeudoapoſtolorum, qui Paulum inimicum Galatarum & hoſtem eſſe mentiebantur: quo ipſi autoritate Pauli labefactata pluris fierent apud Galatas. Tribus autem argumentis hanc calumniam confutat Apoſtolus. Quorum primum eſt quod nulla offenſa interceſſerit. fratres, *inquit*, obſecro uos nihil me læſiſtis, *id eſt, nihil mihi feciſtis iniuriæ, ob quam iniuriam in uos aſperior eſſem. A pietate enim & uera uirtute alienum eſt, ſi ei perrexeris moleſtus eſſe, à quo non prior ſis læſus. Secundum petitur à labore & diligentia in prædicando Euangelio præſtitis.* Scitis,*inquit*, quod per imbecillitatem carnis Euangelizauerim uobis iam pridem. *Vnde facilè colligere poteritis meas obiurgationes eò non tendere, ut quæram meam gloriam. Imbecillitas enim carnis hoc loco opponitur pompæ, gloriæ, ſplendori, & dignitati carnis, quibus Pſeudoapoſtoli tumebant & ſuperbiebant: Etſi uoluerunt uideri omnium humilimi, qui oues foris apparent cum intus ſint*

lupi rapaces: qui blandis uerbis adulantur hominibus, sed pestifera doctrina pungunt animos. Tertium petitur ab officio Galatarum erga Apostolum, & tentationem, inquit, meam in carne non aspernati estis neque respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me: imò sicut Iesum Christum. Cum igitur tanta fuerit uestra erga me humanitas, qui fieri potest, ut uos tanquam inimicos & hostes insecter? Esset enim extremæ ingratitudinis pro tanto officio maleficium reddere. Locus hic imprimis obseruandus est, monet enim quo in loco habendi sint synceri uerbi Dei præcones. Debent siquidem non aliter à nobis excipi quàm angeli Dei ac ipse Dominus IESVS CHRISTVS. Sunt enim ut Angeli excipiendi propter officij similitudinem, idq; quantum ad affectus & reuerentiam attinet. Sunt etiam recipiendi, ut Christus Iesus, uidelicet ratione doctrinæ, quàm docent Christi nomine. Sic enim ipse Dominus ait: Qui uos audit, me audit. Sicuti enim legati, propter eum qui misit eos honorantur & audiuntur, ita ministri Euangelij propter Christum qui eos misit honorandi & audiendi sunt. Honorandi quidem non honore cultus, sed reuerentiæ. Audiendi uero, ut uox ipsa Domini, donec quæ Domini sunt proferunt. Nam qui alienam uocem sonant, quàm Domini, non legati Christi, sed Satanæ potius censendi sunt.

Quare

Quare ut Anathemata fugiendi iuxta illud in primo. Si quis aliud Euangelizauerit anathema sit. Hinc preterea facilè intelligi potest in quo loco habendi sint qui pios ministros uerbi oderunt, traducunt, persequuntur, iisq; subtrahunt necessaria. Huiusmodi enim homines spiritu Satanæ impelluntur ad obruendam lucem Euangelij. Admoneantur quoque hic ministri Euangelij maiestatis officij sui, & dignitatis. Quæ enim maior maiestas? quæ maior dignitas? quàm legatione Christi fungi, & tanquàm Christum ipsum recipi. Caueant igitur summo studio, summaq; diligentia ne sua se φιλαυτία, ne uitæ impuritate odibiles reddant Ecclesiæ Christi: quod cum fit, non solum maculant gloriam illam Christi ad quam euecti sunt, uerumetiam accersunt sibi pœnas iustißimas cum defectionis turpis, tum scandali peßimi. Non enim sibi solis accersunt iudicium, uerumetiam alijs peßimo exemplo nocent. Quare ut illi qui rite funguntur officio, duplici sunt honore digni, ita hi duplicibus pœnis sunt puniendi.

Vbi ergo est beatitudo uestra?

Quasi diceret totum pietatis studium quod hactenus in uobis fuit & à multis prædicatum, sine fructu uobis peribit, nisi Iudaicis superstitionibus desertis, redeatis ad synceritatem Euangelij,

gelij, atque in ea permaneatis. Non enim beatus est qui benè cœpit, nisi etiam in bene cœptis perseuerauerit. Ita enim Dominus ait: Beatus qui perseuerauerit usque ad finem. Nam qui à bene cœptis deficit, comparatur porco, qui, postquam ablutus est, redit ad uolutabrum cœni, in quo magis se coinquinat. Commendatur ergo nobis hoc loco perseuerantia in bono. Nam qui deficiunt à uia recta, beatitudine & iusticia excidunt, cuius antea erant participes, & ut Apocalypsis loquitur, delentur de libro uitæ. Huc, illud Ezechielis. Si auertit se iustus à iusticia sua, nunquid uiuet? quasi dicat, minime. Qui igitur stat, uideat ne cadat.

Testimonium enim perhibeo uobis, quōd si fieri potuisset oculos uestros effossos dedissetis mihi.

Suo testimonio confirmat Apostolus qualenam fuerit pietatis studium in Galatis. Nam qui ex animo amant uerbi præcones, haud dubiè ueræ pietatis studiosi sunt. Obserua notam piorum auditorum uerbi, & ex antithesi collige qualesnam illi sint, qui uel minima commoda suis pastoribus inuident: qui uix Teruntium, ne dum oculos effossos illis darent. Vnde colligitur quod ueræ pietatis ne micam quidem habeant.

Itaq;

Itaque inimicus uobis factus sum ueritatem dicens uobis?

Conclusio est confutationis calumniæ Pseudoapostolorum. Ambrosius sensum sic reddidit. Quia non potest fieri ut inimicus uobis ego sim, quorum tanta sensi obsequia: Sed quia nemo se argui uult errantem, idcirco inimicus uobis uideor, iuste uos reprehendens: Hæc ille. Obseruemus hic inconstantiam uulgi, quam non solum Paulus, uerumetiam Dominus ipse expertus est. Tantisper enim fauorem populi retines, donec quæ placent audit. Verum si ex officio errata ipsius in medium produxeris, hostem tibi & inimicum conciliasti. Quem enim hodie laudant, amplectuntur, fouent, cras rursus uituperant, persequuntur, profligant, damnant, nec est quod pius Euangelij minister aliam gratitudinem à uulgo exspectet.

Inconstantia vulgi.

Aemulantur uos non benè, imo excludere uos uolunt, ut ipsos æmulemini.

Translatione utitur ad moliendam reprehensionem, ex parte enim Pseudoapostolis defectum Galatarum à puritata Euangelij imputat. Illi enim zelum, singularem & studium intimi amo-

ris simulante, deceperunt Galatas: qui tamen reuera nihil quærebant aliud, quàm uanam gloriam, quàm ut essent in summo pretio apud Galatas, quàm ut eorum magistri & doctores in uera pietate colerentur. Indoles igitur falsorum Doctorum hic exprimitur. Nam dum zelum simulant, aurem popularem captant. Deinde uia fallendi Pseudoapostolorum hic describitur. Primum enim huc omnes suos conatus referunt, ut animos auditorum à ueris & pijs ministris auertant, quæ præclara sunt in illis extenuando, & quæ uiciosa exaggerando, postea, parata hac uia, securius agunt omnia.

Bonum est autem æmulari in re bona semper, & non solum cum præsens sim apud uos.

Procatalepsis est, poterant enim obijcere. Nos te quoque æmulati sumus dum apud nos præsens eras, Cur non etiam licebit nobis præsentes nostros instructores æmulari, id est, uehementer amare. Respondit Paulus per distinctionem. Bonum est, fateor, æmulari sed non in quauis re. Si in bona re quis æmuletur, honesta sane & bona est, æmulatio: qua non solum præsentes uerumetiam absentes æmulari licet. Vt enim semper honesta æmulatio probanda est, ita perpetuo, in bo-

Bonum est æmulari, sed non in quauis re.

inhonesta æmulatio improbanda est & damnanda.

Filioli mei quos rursus partu-rio, donec formetur Christus in uo-bis.

Blandius rursus compellat Galatas, & suum paternum animum erga ipsos declarat, dum eos quidem filios nominat, Se uero parturienti comparat, donec formetur Christus in ipsis. Hic locus plures suppeditat doctrinas & admonitiones. Inter quas hæ sunt præcipuæ. Prima, qualisnam affectus in ministris Euangelij esse debeat erga suos auditores, nempe talis, qualis est matris erga tenerrimam prolem. Quemadmodum enim illa gaudet de successu infantis prospero, & rursus dolet si quid molesti ei eueniat: Ita pius Euangelij minister affectus esse debet, de profectu suorum gaudebit, defectum uero deplorabit, non minus quàm honesta & pia mater morbos suarum prolium & mortem deplorat. Qui autem hoc affectu non sunt præditi, nihil minus sunt quam pastores, non enim syncere officium faciunt, non pascunt oues Christi, sed potius seipsos saginant: cuius rei pœnas suo tempore luent. Secunda, dignitas ministerij uerbi, uidelicet, quod destinatum sit rei omnium maximè

expetendæ, nimirum regenerationi: qua nos naſcimur in Chriſto, & Chriſtus in nobis, dum ipſius membra efficimur, & eius uita uiuimus. An non Dei eſt proprium ſpiritualiter gignere & parere? Reſpondeo. Verum quidem eſt, ſed miniſterio tribuitur, ut inſtrumento, quo Deus utitur in hoc ſpirituali partu. Deus enim eſt qui gignit in filio. Verbum Dei ſemen eſt incorruptibile. Spiritus ſanctus eſt uita & uis ſeminis. Miniſterium Eccleſiæ eſt organum. Hinc prodeunt Filij Dei, hoc credentes. Tertia, aboletur Chriſtus & quaſi informis fœtus redditur, ubi legis & traditionum humanarum iuſticia prædicatur. Nam qui legis iuſticiam prædicat, aut qui humanarum traditionum neceſſitatem docet, is reuera iuſticiam Chriſti negat, atque adeo toti Chriſto renunciat. Gratia enim Dei in Chriſto aut tota ſuſcipitur aut tota reijcitur. Quarta, pugnat hic locus contra anabaptiſtas, & alios, qui uocale uerbum, & externum miniſterium Euangelij abolere conantur. Quod cum faciunt gratiam Dei abolent, uiam ſalutis intercludunt, ſepeliunt beneficia Chriſti, Breuiter Chriſti nomen ut fideliſſima Satanæ mancipia è medio tollunt, & regnum Satanæ ſtabiliunt. Quinta, confutat hic locus Nouatianos & Anabaptiſtas qui lapſis reditum ad pœnitentiam ſacrilegè negarunt. Hic enim

Paulus lapsos Galatas reuocat. Tametsi autem nihil periculosius est quam sæpe relabi in peccatum (Nam inde mens in multis reproba efficitur & multi ita dedolere incipiunt, ut nullo peccatorum sensu tangantur:) Tamen uerißima est doctrina Ecclesiæ, quæ docet Deum lapsos in gratiam recipere: cuius rei ueluti Symbolum quoddam Dominus uoluit esse condonationem mutuam in hac uita. Vnde interroganti Petro quoties in se peccanti remittat. Respondet. Septuagies septies. matth: 18

Vellem autem adesse apud uos modo, & mutare uocem meam quoniam inops consilij sum in uobis.

Concludit Apostolus uoto obiurgationem paterna storga mixtam. Cupit enim se Galatis adesse, quo præsens posset accommodare se captui singulorum, cum singulis conferendo & singulos docendo & admonendo, prout neceßitas postulare uideretur: id quod in generali scripto fieri tam commode nequaquam potest. Monet hic locus ministros Euangelij, ut rectè secent sermonem Euangelij, utq; se captui & ingenio auditorum accommodent, quo doctrinæ & consilio melius locus esse poßit. Vt

enim medicus generalibus præceptis parum efficiet, nisi singulorum qui ægrotant peculiarem curam habuerit: ita minister Euangelij conscientijs singulorum uix medebitur uniuersali doctrina. Quare utiliter in nostris Ecclesijs instituta sunt priuata colloquia ante sumtionem cœnæ, in quibus doctrinæ & consolationes singulis ueluti salutaria quædam Pharmaca adhibentur.

Dicite mihi qui sub lege uultis esse legem non auditis? Scriptum est enim quod Abraham habuit duos filios, unum ex Ancilla & alterum ex libera. At ille quidem qui ex ancilla, secundum carnem fuit. Hic uero qui ex libera per promissionem (*scilicet natus est*) Quæ quidem per allegoriam sunt dicta. Hæ enim (*scilicet matres ancilla & libera*) sunt duo testamenta, unum quidem à monte Syna in seruitutem generans quæ est Agar (nam Agar Syna mons est in Arabia, confinis est autem ei quæ nunc est Ierusalem) seruit autem cum filijs suis. Quæ autem

sursum

ſurſum eſt Ieruſalem libera quæ eſt mater omnium noſtrum.

Tertia pars eſt huius capitis in qua Apoſtolus docet & exornat Typica ſimilitudine idem quod ſuperius multis rationibus docuit, nimirum populum noui teſtamenti liberum eſſe à lege Moſaica ac ritibus Iudaicis, Iuſtificari autem gratis ſola fide abſque operibus legis. Verum ut hic Typus melius intelligatur. Primum rem totam in argumenti formam conijciam. Poſtea ſingulas partes latius perſequar. Argumentum ita ſumtum à Typo coniugij Abrahæ in hanc formam commodè cogi poteſt. Quemadmodum Abraham in una domo duas uxores Agar ſeruam & Saram liberam habet: Ita Deus habet duo teſtamenta, uetus quidem quod Agar, nouum uero quod Saræ reſpondet. Sed Agar genuit Iſmaelem, qui fuit Typus populi legalis in ſeruitutem nati: Sara uero genuit Iſaac Typum populi liberi. Igitur uetus teſtamentum ſeu lex generat populum ſeruitutis, nouum uero populum libertatis. Cum itaque nos ſumus populi noui teſtamenti, non debemus amplius ſub legis ſeruitute concludi. Nam fide promiſsionis ut iuſti ſumus, ita etiam liberi: Hec totius huius exornationis ſumma eſt, ad quam

historiam ex Genesi accommodat Paulus, cuius partes obscuriores explanaturus, primum colligam antitypa. Abraham typus Dei est, Agar figurat uetus Testamentum seu legem. Syna adumbrat terrenam Ierusalem. Ismael filius Agar typus fuit populi legis. Sara uxor libera nouum testamentum, Euangelium Ierusalem cœlestem, hoc est, Ecclesiam mysticè significat. Huius filius Isaac nouum populum eumq; liberum adumbrat. His ita explicatis textus obscurus esse non potest. Tametsi particulæ similitudinis non adhibentur, quod fit Hebraica consuetudine. Hebræi enim frequentius notas similitudinum excludunt. Porrò quod in parenthesi scribitur, Nam Agar Syna mons est in Arabia, confinis est autem ei quæ nunc est Ierusalem. paulò obscurius est. Sed hoc modo declarabitur. Nam Agar Syna mons est in Arabia, id est, Agar ancilla notat typicè Synam montem unde lex prodijt. Non enim hic montem unum & eundem uult esse binominem sed typum exprimit. In Arabia non frustra additur, uult enim hoc significare. Quemadmodum Agar, quæ Synam montem adumbrat, quæ Syna est extra limites terræ sanctæ, quæ terra Symbolum fuit æternæ hæreditatis. Ita lex seu uetus testamentum est extra promißionis cœlestis hæreditatem, adeo ut qui ex lege quærunt iusticiam, nihil

præter damnationem inueniant. Deinde additur in eadem parenthesi, confinis est autem ei quæ nunc est Ierusalem. Græce significantius scribitur συςοιχεῖ, hoc est, coordinatus, seu, ut ita dicam, consociabilis est: ut quæ eandem relationem & Typicam significationem habeat cum terrena Ierusalem, quæ nunc est destructa, & olim sub lege seruiuit. Non enim hæc sunt Topographica, ut quidam existimant, sed typicè conferuntur, ad consignificandam similitudinem. Agar seu Syna & terrena Ierusalem in eo similes sunt, quod ut Syna ita & Ierusalem terrena ad seruitutem generet. At quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrum.

Sursum esse dicit, hoc est, cœlestem ut quæ originem habeat de cœlo. Ierusalem libera significat Ecclesiam fidelium, quæ est mater omnium, scilicet credentium in CHRISTVM. *Dicitur autem Ecclesia mater fidelium, quia Deus per Eccesiæ ministerium generat sibi filios, idq; per uerum semen & incorruptibile quod est syncerum uerbum* Dei. *Non est igitur quod is cœtus hunc honorem sibi sumat, qui hoc semen conculcat pedibus, qui persequitur membra Christi, qui generat filios diabolo & non* Deo, *quemadmodum* Romana *synagoga facit.*

Scriptum est enim: Exulta sterilis quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis: quia plures erunt liberi desertæ quam habentis uirum.

Confirmatio est à testimonio Esaiæ Prophetæ ex capite quinquagesimo quarto. postquam autem Propheta in capite 53. uaticinatus esset de morte, resurrectione, & Triumpho Christi, addit in 54. uaticinium de Ecclesia, quæ ueluti ex latere Christi effluxit, hæc antequam assumpta est à Christo, sterili uiduæ similis fuit, sed postea, concepto semine incorruptibili, multos parit liberos. Vaticinatur igitur Propheta de Ecclesia noui Testamenti, quæ colligenda erat ex gentibus, abiectis Iudæis ob suam ingratitudinem. Quod autem Ecclesiam colligendam ex gentibus comparet sterili uiduæ, significat Ecclesiam non ob merita sua, sed propter gratiam assumtam esse: quæ gratia ut omnibus promiscue per Euangelium offertur, ita sola fide accipitur & poßidetur.

Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus.

Accommodat Typum ad populum noui testamenti. Est autem huius accommodationis hic sensus. Quemadmodum Isaac promißionem habuit ut haberetur semen Abrahæ, præterito Ismale: Ita quicunque credunt promißioni gratuitæ, promißionis filij habentur, & semen Abrahæ spirituale. Ad hos enim solos pertinet promißio, præteritis alijs qui uel carnis prærogatiua, uel legis operibus tument. Verum hic sciendum est, quòd hic tantum anologia quædam rerum terrenarum & cœlestium instituatur ad significandam gratuitam electionem & iustificationem, ad excludendam omnem meritorum opinionem. Proinde hoc modo anologia seu Symbolica hæc ratio accommodabitur. Quemadmodum Ismaelem nihil iuuit ad consequendum ius hæreditatis quòd ab Abrahamo Patriarcha sit natus, nulla interueniente promißione, sed solus Isaac ob promißionis uerbum constitutus est hæres: Ita nihil iuuat uel prærogatiua carnis, uel legis iusticia ad hæreditatem cœlestem consequendam, Sed sola promißio hic locum habet, hoc est, tantum illi qui gratuitæ promißioni credunt efficiuntur uitæ æternæ hæredes, exclusis omnibus alijs. Hoc pacto accommodat Typum etiam Iustinus Martyr ad Triphonem scribens, hisce uerbis.

νοεῖν δεῖ ἡμᾶς δύο σπέρματα Ἰούδα καὶ δύο γένη, ὡς δύο οἴκους Ἰακώβ, τὸν μὲν δὴ αἵματος καὶ σαρκὸς, τὸν δὲ ἐκ πίστεως καὶ πνεύματος γεγεννημένον, &c. Proinde huc redit summa sententiæ, quòd qui non credit reijciatur. Qui uero credit assumatur, ut legitimum semen Abrahæ, idq; sine discrimine. Omnis enim qui credit illi, non pudefiet. Nam non est distinctio Iudæi & Græci. Idem Dominus diues in omnes inuocantes se. Huc pertinet tota illa disputatio Pauli ad Romano. 9. 10. & 11.

Sed quemadmodum tunc, qui secundum carnem erat genitus, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc.

Digreßio est, sumpta enim occasione à Typo Ismaelis & Isaac, alteram partem eius adiungit, uidelicet de persecutione. Et perstringit hic Apostolus potißimum Pseudoapostolos qui populum Dei uolebant seruilibus operibus opprimere, & à gratuita misericordia abducere. Complebitur autem præsens similitudo hoc modo. Quemadmodum se habet Ismael ad Isaac, sic

sic se habet populus legis ad ueram Ecclesiam. Sed Ismael persequebatur Isaac. Ergo mirum non uideri debet, si populus legis & Pseudoapostoli persequantur Ecclesiam. Locus de cruce & persecutione Ecclesiæ obseruandus est.

Sed quid dicit Scriptura? eijce ancillam & filium eius: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ:

Hæc similitudo qua consolatur Apostolus Ecclesiam aduersus crucis scandalum, illustrior erit in hunc modum explicata: Eadem est ratio Agar ancillæ cum filio suo Ismaele, & Saræ liberæ cum filio suo Isaac, quantum ad domum & hæreditatem attinet, quæ est legis cum suo populo, & Euangelij cum suo populo respectu Ecclesiæ & hæreditatis æternæ uitæ. Sed Agar cum suo Ismaele de familia Abrahæ & hæreditate eiecta est: Et Sara cum Isaac in domo Abrahæ manet & hæreditate gaudet. Igitur Lex cum suo populo eijcietur extra Ecclesiam, Euangelium uerò cum suo populo manebit in Ecclesia & æternæ uitæ hæreditate fruetur. Hic tres hypotheses colligantur. Prima. Quòd qui uolunt ex lege Iustificari sint extra Ecclesiam & spem hæredita-

2 reditatis cœlestis. Secunda, quòd regnum cœlorum non sit seruorum stipendium sed filiorum hæreditas. Tertia, quòd in medijs ærumnis Ec-
3 clesia debeat se consolari certißima futuræ liberationis fiducia.

Igitur fratres non ancillæ filij sumus sed liberæ.

Conclusio est adductæ similitudinis cuius hic sensus est: liberi simus à legis seruitute, quia sumus populi noui testamenti & filijs promißionis. Notetur hoc loco discrimen inter filios ancillæ & liberæ, Filij ancillæ sunt qui ex lege & ritibus Mosaicis tanquam pro labore petunt præmium æternam uitam. Nam sicut Ismael putabat se hæredem fore ob prærogatiuam natiuitatis. Ita illi meritis suorum operum se recipiendos à Deo ad hæreditatem cœlestem opinantur, ac propterea misericordiam Dei & λύτρον filij impiè repudiant. Non enim perpendunt, quantum scelus sit uel minimum adimere misericordiæ & gratiæ Dei & uictimæ filij, & suis ascribere operibus. Hic teneamus memorabile dictum Ambrosij: uilesceret, inquit, Redemptio sanguinis Christi & misericordia Dei humanorum operum prærogatiuæ succumberet, Si iustificatio

ſtificatio, quæ eſt ex gratia præcedentibus operibus tribueretur, ut non eſſet munus largientis ſed merces operantis. Filij uero liberæ ſunt qui in CHRISTVM credentes ex gratia Dei exſpectant hæreditatem cœleſtem, quæ eſt donum DEI per IESVM CHRISTVM. Habet & hæc concluſio uim exhortationis, qua uidelicet Apoſtolus nos exhortatur, ut potius ſtudeamus liberæ & gratiæ filij eſſe, quàm legis & operum ſerui. Vnde ſalus ſperari nequit.

SVMMA CAPITIS QVINTI.

CVM Igitur iam conſtat ô Galatæ uos eſſe à Lege liberatos, utpote iuſtificatos ſola fide abſque operibus, Manete in ea libertate & nolite ritus legales recipere in ueſtri pernitiem. Interea cauentes ne abutamini libertate hac in occaſionem carnis, ſed potius obtemperetis ſpiritui, operibus carnis per ſpiritum profligatis.

ORDO ET PARTES QVINTI CAPITIS.

Con=

Confirmata principali quæſtione in ſuperioribus capitibus, in hoc quinto finem ſeu ſcopum totius diſputationis, nimirum uindicationem Chriſtianæ libertatis proponit.

Ac primo loco iubet eos ſtare in libertate qua liberati ſunt per CHRISTVM. Hanc ſuaſoriam propoſitionem confirmat, & ſubinde excitat Galatas, minatúrque ſeductoribus aliud ſuadentibus.

Secundo loco ſuadet Apoſtolus ne abutantur Galatæ hac libertate, hoc eſt, ne inde præbeant carni occaſionem peccandi, ſed ſeruiant potius ſibi inuicem per charitatem. Huic etiam parti confirmationem ſubijcit.

Tertio loco hortatur Galatas ad nouitatem uitæ, uidelicet ut ambulent in ſpiritu, uiuántque iuxta ſpiritus Dei imperium. Confirmatur & hæc pars paucis rationibus.

Quartò loco per Antitheſin addit catalogum operum ſpiritus & carnis, ut Chriſtiani ſciant quæ fugere quæq; proſequi debeant. Atque ita hoc caput totum ſuaſorium eſt et abſoluitur quatuor iam commemoratis partibus. Obſeruetur hic Methodus Apoſtolica, quod poſt doctrinam ſubijciat pareneſes ad nouitatem uitæ, quæ Methodus pijs Euangelij miniſtris diligenter obſeruanda eſt.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

In libertate igitur, qua Christus uos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini.

INfert nunc ex confirmata in quatuor superioribus capitibus propositione, tanquam ex immoto principio finem & scopum totius scriptionis, nimirum uindicationem Christianæ libertatis. Est autem propositio hæc suasoria amplificata antithesi, ut intelligamus de qua libertate hic agatur. Libertatem enim hic opponit iugo seruitutis, id est, seruituti legis, ad quam seruitutem Pseudoapostoli gentes cogere uidebantur. Hic locus obseruandus de Christiana libertate, de qua rectè erudiri pios inprimis necessarium est. Quare huc summam eius doctrinæ ascribam. Est autem duplex Christiana libertas, Vna personæ, Altera uoluntatis. Illa fit per satisfactionem Christi. Hæc uero per spiritum eiusdem. De libertate personæ, Ita ait Dominus. Si Filius uos liberauerit, uerè liberi eritis. Huius libertatis gradus sunt plures, qui se mutuo consequuntur. Quorum Primus est liberatio à peccato, Iuxta illud Pauli. Lex spiritus uitæ

M in Chri-

in Christo Iesu liberauit me à peccato & morte.
2 Secundus est liberatio à maledictione legis, Iuxta illud, Christus redemit à maledictione legis, factus
3 pro nobis maledictum. Tertius est donatio Spiritus sancti, Iuxta illud, Non accepistis spiritum seruitutis ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater. Hic spiritus adoptionis opponitur spiritui seruitutis, quare spiritus libertatis est, qua filij Dei effecti libertate
4 filiorum Dei gaudemus. Quartus est liberatio à ritibus Mosaicis et traditionibus humanis, de quo gradu Paulus hic potißimum agit, & ad Colloß: Porrò finis huius libertatis est, ut seruiamus Deo ueris cultibus, & prædicemus ipsum in omni æternitate, propter immensam suam misericordiam, qua uoluit nos suos filios fieri adeoq; liberos à maledictione Legis &c. His ita ordinatis, definitionem iustam Christianæ libertatis, quantum ad personam attinet, colligamus hoc modo: Christiana libertas est manumißio spiritualis parta sanguine Christi, quam offert Euangelium credentibus, per quam credentes adoptantur in filios, liberantur à peccato, à maledictione legis, à ritibus Mosaicis, & humanis traditionibus in conscientia: ut conscientiæ piorum formidulosæ coram Deo pacificentur, ut sub cruce glorientur, certi quòd eorum liberator Christus uerè ipsos ab omnibus malis suo tempore sit erepturus, Vtq; amplius

plius non sint serui humanarum traditionum, sed ut ijs ut populi liberi utantur boni ordinis & disciplinæ gratia, citra opinionem iusticiæ meriti, cultus, & neceßitatis. In hac definitione causas, modum, gradus, & fines Christianæ libertatis complexus sum. Nec extendit se hæc libertas extra metas præscriptas, hoc est, extra gradus enumeratos. Quemadmodum Libertini & Anabaptistæ malè sentiunt: Quorum hi, prætextu Christianæ libertatis magistratum ciuilem tollere conati sunt, Illi uerò prætexunt libertatem Christianam cuiuis carnis libidini, & quibusuis flagitijs: quasi ideò essemus libertate donati, ut iam liceat quicquid libeat. quorum errorem confutat Christus hoc dicto: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Libertas igitur Christiana non simpliciter est intelligenda, sed κατά τι, hoc est, secundū certum libertatis modum, qui in enumeratis quatuor gradibus est positus. Hactenus de libertate personæ dictum sit.

Libertas Voluntatis in conuersis, fit quando 2
Deus illuminat mentem suo uerbo, format iudicium, immutat uoluntatem, & addit uires, ut aliqua illi grata faciamus. Hæc igitur Libertas quoad actiones spirituales, non est naturæ, sed gratiæ. Est enim eius autor spiritus Christi in nobis. Plura de hac libertate uide in Enchiridio, capite de

Libero Arbitrio. Magister sententiarum libro secundo distinctione 26. tres modos Libertatis facit, nempe à necessitate, à peccato, & à miseria. Horum primus ad libertatem uoluntatis, reliqui duo ad libertatem personæ pertinet. Vt enim credentes in hac uita absoluuntur à peccato, ita in resurrectione ab omni miseria liberabuntur, & fruentur conspectu Dei in omni æternitate: Hoc admonere uolui, ut intelligatur quomodo uetus illa distinctio cum nostra congruat. Porro antithesis, ne rursus iugo seruitutis implicemini, ostendit quàm periculosum sit puritatem Euangelij ullis additamentis turbare. Significat enim libertatem in Christo partam amitti per huiusmodi additamenta, qua amissa rursus sub peccato & maledictione legis captiui tenemur, ut miserrima peccati mancipia: quod sanè est premi iugo legis, cuius onus intollerabile est, quemadmodum Petrus in consilio Apostolico testatur Actor. 15. Ante enim prædicationem Euangelij Galatæ cum omnibus gentibus legis iugo damnatorio premebantur, à quo cum per Euangelij prædicationem liberati sint, quæ est amentia istud iugum iam sponte rursus accersere repudiato suauissimo Christi iugo. Deinde uocabulum implicationis significat homines ritibus Mosaicis tanquam quibusdam pedicis reos teneri, & implicari, quo minus possint rectum cursum tenere in Euangelij stadio. Vide

quam

quam multa incommoda secum adferat, uel minima rituum Mosaicorum accessio. Quid igitur dicemus de Papatu, qui non solùm ritus innumerabiles inuexit in Ecclesiam, idq; non tàm disciplinæ gratia, quàm iusticiæ, meriti, & cultus opinione, Verumetiam ipsum Christi Euangelium abolent, ac eos igni & gladio persequuntur, qui puritatem Euangelij, & libertatem filiorum Dei rursus in Ecclesiam reuocari student. Idq; ideo facit, ne ipsius existimatio apud homines periclitetur. Nam non gloriam Christi sed suam quærunt Satellites Papæ: non pugnant isti Centimani Briarei pro aris, sed pro focis, etiamsi aras sacrilegas prætendunt. Nos proinde, qui Christi Euangelium habemus purum & sincerum, Deo gratias agamus, ac grati tantùm beneficium prædicemus, non morantes ullorum hominum uel sapientiam uel potentiam, uel autoritatem, uel fictam successionem, qui Christi Euangelium obscurare sacrilegè conantur. Est enim opus utraq; uirtute in Ecclesia, uidelicet cõfeßione ueræ doctrinæ et seiunctione ab hostibus Euangelij. Hæc coniunctio in tribus conspicitur. Primùm, in refutatione opinionum & cultuum pugnantium cum uerbo Dei. Fieri enim non potest, ut is purè Euangelium prædicet, qui à refutatione falsorum dogmatum abstinet. Deinde, in uitandis fucosis conciliationibus, quibus uia patefit sophisticæ & corruptelis necessariorum

3 dogmatum. Tertiò, in fugiendis collusionibus, quæ fiunt aut quæstus, aut tranquillitatis causa.

Ecce ego paulus dico uobis, quod si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit.

Ratio propositionis ab adiunctis seu ab effectu seruitutis legalis amplificata præmonitione. Potest autem hæc ratio commodè in hunc syllogismum includi. Illud absq; dubio fugiendum est omnibus qui pietatem colunt, quod reddit Christum ipsis, inutilem & ociosum. Circumcisio reddit Christum hominibus eam recipientibus inutilem & ociosum. Igitur Circumcisio proculdubio omnibus pietatem amantibus fugenda est. & econtrà libertas acquisita per Christum est retinenda. Vel si placet retinere formam propositionis, hoc modo formetur argumentum: Si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit: Si Christus uobis nihil proderit, libertas per illum acquisita amissa rursus est. Proinde ne amittatur libertas, circumcisio abijciatur. Hanc rationem Paulus opponit dogmati Pseudoapostolorum, cuius forma extat Actor. 15. hisce uerbis: Nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis salui fieri. Verum hoc dogma primum Concilium Apostolorum refutauit, & Paulus ad Philippenses 3. monet

huius

huius dogmatis autores tanquam canes & malos operarios fugiendos esse. Ita enim ait. Videte malos operarios, uidete concisionem, hoc est, doctores illos Pharisaicos, qui circumcisionem necessariam ad salutem docent, non sine maxima iniuria filij Dei: cuius uictima sufficiens λύτρον est ad omnia omnium hominum peccata expianda. Verùm ne obijcerent Pseudoapostoli ista nota fauoris Dei destituti credentes: Paulus respondet, dicens: Nos sumus circumcisio qui spiritu Deum colimus, & gloriamur in Christo, & non confidimus in carne. Quare uera circumcisio est amputatio fiduciæ carnis, gloriatio in Christo Iesu, & spiritualis cultus, quo Deum ex fide colimus.

Testificor autem rursus omni homini qui circumciditur, quod debitor sit totam legem facere.

Confirmatio proximæ rationis est, seu Ætiologia à genere negato ad speciem. Christus nihil prodest debitoribus totius legis (quia illos certa manet damnatio, non enim legi Dei satisfaciunt) Qui circumciduntur sunt debitores totius Legis: Igitur Christus nihil prodest ijs qui circumciduntur. Porrò hoc loco obseruandum est, quod Apostolus hic loquatur non de uero circumcisionis usu, non de ipsa tanquam de re ad tempus ferenda

infirmitatis aliorum gratia, sed de abusu circumcisionis. De uero usu loquitur Apostolus ad Rom. 4. ubi circumcisionem sigillum iusticiæ fidei definit. Verùm hic usus certum tempus habuit. Debuit enim durare usq; ad uelum fractum & peractam in ara Crucis uictimam Christi. De circumcisione, ut re ad tempus ferenda infirmorum gratia, sine opinione cultus, & iusticiæ, intelligatur circumcisio Timothei, quem Paulus permisit circumcidi, nondum satis confirmata doctrina libertatis Christianæ. Hîc autem Apostolus de abusu circumcisionis agit, prout Pseudoapostoli eam definierunt esse opus meritorium iusticiæ, seu complementum iusticiæ fidei, iuxta hanc uocem Pseudoapostolorum. Nisi circumcidamini more Mosis, non potestis salui fieri: Quo dicto satis ostendunt, quòd circumcisionem partialem saltem quandam causam salutis & iusticiæ esse uoluerint: Quod sanè non aliud est, quàm dicere, solam uictimam Christi non sufficere ad salutem consequendam. Proinde hic locus diligenter obseruetur: Docet enim apertè quòd Christi iusticia non poßit stare cum ullis meritis humanis: Gratia enim DEI aut tota recipitur aut tota reijcitur.

Euacuati estis à Christo quicunque per Legem iustificamini, à gratia excidistis.

Rationes propositionis duas addit, & utraq; à causa ad effectum descendit. Prior autem Propositioni in hunc modum applicabitur. Omnes qui sunt euacuati à Christo, id est, omnes quibus Christus factus est inanis, amiserunt libertatem. Omnes qui uolunt per Legem iustificari sunt tales. Ergo omnes qui uolunt per Legem iustificari, amiserunt libertatem. Loco totius argumenti assumtionem posuit. Posterior ratio hæc est: Quicunq; à gratia exciderunt libertatem amiserunt: Qui uolunt iustificari per Legem, à gratia exciderunt: Proinde qui uolunt iustificari per legem, amiserunt libertatem, quæ libertas gratiæ effectus est. Quare cum in libertate standum est, iustificatio ex lege nequaquam petenda est. Obseruandus locus, quòd si minima pars iusticiæ operibus tribuitur, Christus nobis reddatur inanis, & excidamus à gratia: Neq; hæc de Ceremonijs tantùm intelligi debet, sed de quibusuis operibus, Quicquid enim operibus in iustificationis & salutis negocio tribuitur, id totũ Christo adimitur. Firmißima enim est hæc Pauli collectio: Si per gratiam, non amplius ex operibus, alioquin gratia non amplius est gratia. Si autem ex operibus, non est amplius gratia, alioquin opus non amplius est opus. Ex quo fit ut iusticiæ Dei, quæ contingit per fidem Iesu Christi, subiectus esse nequeat qui ex operibus quærit iusticiam.

Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus.

Aliud Argumentum eſt, quo probat Chriſtianos non debere rurſus iugo ſeruitutis implicari. Eſt autem hoc argumentum ſumtum à cauſarum differentia: Chriſtiani ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectant. Ergo iuſticia non eſt expectanda ex Lege. Proinde non debent Chriſtiani rurſus Legis iugo implicari, ſed potius in parta libertate ſtare conſtantes. Porrò Oſiander hoc loco interpretes cùm ueteres tùm recentes accuſat, ut qui malè traſtulerint ipſius iudicio uocem Græcam ἀπεκδεχόμεθα. nam ipſe contendit hanc uocem in præſenti Pauli loco idem ſignificare quod ACCIPIMVS, *Etſi aliâs ſæpè expectandi ſignificationem habet: Nam homo acutiſſimus benè perſpexit, quòd ſi hic ἀπεκδεχόμεθα reddatur* EXPECTAMVS, *ruat imaginatio ipſius de eſſentiali Dei iuſticia, qua homines iuſtificari, dum adhuc uiuunt, magna cum offenſione Eccleſiæ docet. Verùm Oſiandri calumniæ primùm opponamus autoritatem omnium interpretum, qui nullo excepto hactenus tranſtulerunt hoc loco* EXPECTAMVS. *Deinde quod Paulus in alio ſignificato nullibi ſit uſus ἀπεκδέχεσθαι, niſi pro expectare. Ad Rom. 8. ter in hac ſignificatione reperitur. Ad Philip. 3. ita ſcribitur. Noſtra*

conuer-

conuersatio est in cœlis, Vnde et saluatorem ἀπεκδεχόμεθα, id est, expectamus. Deinde Textus ipse pugnat cum sententia Osiandri. Spem enim iusticiæ uocat hebraicè iusticiam quæ adhuc speratur. Quod autem speratur, nondum obtinetur, sed expectatur. Rectius igitur multò uertis, spem iusticiæ expectamus, quàm, spem iusticiæ accipimus. Verùm hic obijcitur. An non reuera hic habemus remißionem peccatorum quæ est Christianorum iusticia. Si habetur, quomodo eandem expectamus. Nemo enim expectat quod iam reipsa poßidet. Respondeo. Iusticia quam adhuc expectamus non est Remißio peccatorum, non est imputatio iusticiæ Christi, sed est formalis & plena Legis obedientia, qua in omni æternitate iusti erimus, quando uidelicet Deus erit omnia in omnibus, & nos uicißim illi suo modo conformes erimus. Iuxta illud: 1. Iohan. 3. Quoniam ubi apparuerit, similes ei erimus. Legatur Responsum Philippi ad Lib: Osiandri de Iusticia Dei essentiali.

Nam in Christo Iesu neq; circumcisio aliquid ualet, neq; præputium.

Procatalepsis est. Respondet enim obiectioni Pseudoapostolorum, qui ritus Mosaicos uoluerunt fidei adiungi, tanquam particulares iusticiæ causas. Sed Paulus anteuertit hanc obiectionem exæquans

quans præputium & circumcisionem in causis iusticiæ. Nam ut præputio ita circumcisioni gloriam iusticiæ adimit. Notandum hoc loco est quod Synechdochicos per circumcisionem intelligat Paulus omnes ritus Legales seu Mosaicos, quibus ex æquo adimit iusticiæ gloriam, ut nos persistamus in acquisita libertate. Si enim iusticiæ gloria adimitur circumcisioni, multò magis adimetur alijs ritibus, qui circumcisione longè inferiores sunt. Notandum & hoc est, quod Apostolus disertè dicat, IN CHRISTO IESV, id est, in regno spirituali Christi post Christum mortuum & suscitatum. Antea enim circumcisio externa mandatum Dei habuit in certo populo, uidelicet, Iudaico, & utile sacramentum fuit, quemadmodum ex institutione eius patet Genes: 17. & Paulus confirmat ad Rom. 4. ubi ita ait, Et Signum accepit Circumcisionis, Signaculum iusticiæ fidei.

Sed Fides per Caritatem operans.

Anteuertit & hic obiectionem. Poterant enim obijcere Pseudoapostoli, ritus Mosaicos necessaria quædam fidei exercitia esse. Sed Paulus istis exercitijs opponit fidem operantem & exercentem se pijs dilectionis officijs. Non tamen hic Paulus excludit Sacramenta, nec alias ceremonias decori &

ordinis causa institutas: Sed tantùm contendit non debere onerari Christianos Mosaicis illis iam antiquatis & abolitis exercitijs. Porrò hoc Pauli dicto Papistæ se armant contra iusticiam fidei gratuitam. Cùm enim pij dicunt, nos sola fide iustificari, isti opponunt hunc locum, & ex eo tanquam ex immoto principio hoc pacto colligunt. Fides per caritatem efficax est. Ergo fides & caritas simul iustificant. Sed neganda est consequentia. Non enim omnia quæ coniuncta sunt natura, easdem operationes habent: id quod uidere est in anima hominis, ubi natura coniuncta sunt intellectus & facultas uoluntatis, quorum tamen diuersæ operationes sunt. Deinde Paulus, ut superius abundè docuit de gratuita iustificatione, uidelicet, quod homo sola fide sine operibus iustificetur: Ita hoc loco non de causis iustificationis, sed de ueris Christianorum exercitijs disputat: Quorum omnium ueluti mater existit caritas ex uiua fide in filium Dei manans. Deinde fatemur, & docemus cum fide semper coniuncta esse Bona Opera, quæ Paulus Philippensibus scribens nō causas iusticiæ, sed fructus iusticiæ fidei nominat. Etsi igitur fides à spiritu regenerationis diuelli non potest: tamen in causis iustificationis prorsus excludimus opera. Non enim operibus nostris, sed fide Christi iusticiam recipimus. Obseruandus hic locus inprimis est. Docet enim quæ nam sint necessaria

Christia-

Christianorum exercitia, uidelicet opera carita-tis ex fide manantia. Vox græca ἐνεργουμένη uim fidei exprimit. Vt enim ignis sua natura ἐνεργεῖ, id est, uirtute interna operatur & calorem ciet, ita fides caritatem, id est, caritatis officia ex se gignit. Hinc manifestè patet quàm fœdus error eorum sit, qui hodie declamitant contra necessitatem bonorum operum. Cum hic manifestè doceat Paulus, bona opera manere ex ui & natura fidei, quæ ueluti agitatio quædam Spiritus sancti est, quo ducuntur filij Dei.

Currebatis pulcrē, quis uos impediuit ut ueritati non obtemperetis?

Rursus interserit obiectionem, & accusat Galatas defectionis à ueritate, id est, à uero & puro Euangelio. Obiurgationem hanc exaggerat collatio. nam eo turpior est lapsus, quo quis firmior & instructior ante ad currendum fuerit. Obseruetur Metaphora cursus, quo significatur Christianorum uiuendi ratio: quæ cursui & stadio comparatur: ut significetur torporem & segnitiem abesse debere: quæ, quo minus ad metam perueniamus impediūt. Deinde ministri Euangelij intueantur hoc loco fortunam Apostoli, qui in odium Galatarum incurrit propter ueritatem. Adeo uerum est quòd uulgò dicitur: VERITAS ODIVM PARIT.

Persua-

Persuasio hęc non est ex eo qui uocat uos.

Remotio causæ est, quasi diceret, ista persuasio qua apud uos effectum est, ut non amplius obtemperetis ueritati, hoc est, ut non amplius retineatis puritatem Euangelij, *sed recipiatis uero cum* Euangelio *Mosaicos ritus tanquam necessarios ad iusticiam coram* Deo: Hæc *inquam persuasio non est à* Christo, *aut eius* Apostolis, *qui ad* Christi *mandatum uocarunt uos ad agnitionem* Euangelij: *sed potius est à* Satana *hoste* Christi, *et istius maligni organis, qui isto pacto* Christi *regnum inuadunt: spoliant* Christum *honore* Mediatoris, *& summi* Pontificis: *cuius solius uictima est expiatrix peccati: cuius solius obedientia perfecta est iusticia, quæ nobis credentibus imputatur,* Rom. 4. & 5.

Exiguum fermentum totam massam fermentat.

Procatalepsis est, Poterant *enim obijcere* Pseudoapostoli, *nihil aut parum nocere quosdam retinere ritus* Mosaicos, *præsertim cum facere uideantur ad concordiam & pacem conciliandam & fouendam inter* Iudæos *credentes, &* Gentes *conuersas. Quemadmodum etiam politici uiri no-*

ſtro ſeculo conantur perſuadere noſtris Eccleſijs, ut concordiæ et pacis cauſa retineant uſitatas Ceremonias. Reſpondit Apoſtolus pulcerrima ſimilitudine, ſeu Allegoria, aut ſi mauis Prouerbiali figura, quæ in hunc modum accommodabitur. Quemadmodum exiguum fermentum totam maſſam facillimè fermentat & ſuo Acore inficit: Ita leuiſſimus in ſpeciem error totam doctrinam Euangelij inficit: Ita ut non amplius puritatem Euangelij redoleat. Proinde ne tota doctrima Euangelij corrumpatur leuiſſimo in ſpeciem errori mox occurrendum eſt. Obſeruandus locus quo monemur, ut ne minimum quidem errorem uel ſuſpectam opinionem admittamus pacis gratia. Sed potius retineamus tenaciter puritatem doctrinæ, etiamſi fractus totus collabatur orbis. Nam aperta una aliqua rimula, ſerpens, ut eſt callidus, ſe facilè totum inuoluet.

Ego perſuaſus ſum de uobis in Domino, quod nihil aliud ſenſuri ſitis.

Mollit obiurgationem ſpe emendationis propoſita. Solet enim non parum mouere animos bonorum diſcipulorum, ſi de ſe bene ſperari à præceptoribus animaduertit.

Verum qui turbat uos portabit iudicium, quiſquis ſit.

Translatio & interminatio est, Vt enim lapsus occasionem Pseudoapostolis ascribit, ita eosdem haud fore impunitos pronunciat. Iudicium hoc loco per Metalepsim pœnam significat. Portandi uerbo grauitatem pœnæ notat Apostolus. Significat enim iudicio Dei & pœnis ingentibus premi & obrui corruptores doctrinæ Ecclesiæ. Neq; hoc mirum est cum turbatores Ecclesiarum sint ueluti stipendiarij Satanæ, qui primum Ecclesiam Dei pestifera corruptela doctrinæ turbauit. Obseruanda inprimis hæc comminatio est, quæ pertinet ad omnes, qui quouis modo fontes Israël, id est, puritatem Euangelij turbant, atq; ita Ecclesiæ occasionem defectionis præbent, exemplo Satanæ, qui primam Ecclesiam seduxit.

Ego autem fratres si circumcisionem adhuc prædicem, cur adhuc persecutionem patiar?

Anticipat & hîc obiectionem Apostolus. Respondit enim calumniæ Pseudoapostolorum mentientium Paulum circumcisionis aliquando præconem agere, quos aperto signo uanos esse ostendit. Nulla enim alia fuit causa, ob quam Paulum Pseudoapostoli persequebantur, quàm quòd abrogationem circumcisionis & aliorum rituum Mosaicorum docuerit.

Nempe abolitum est scandalum crucis.

Alia ratio est, qua confirmatur Paulum circumcisionem non prædicare. accommodabitur autem ratio hoc pacto. Si Circumcisionem prædicarem, nō amplius mea doctrina offenderētur Pseudoapostoli. Cùm igitur constat pseudoapostolos adeò offendi mea doctrina, ut me de medio sublatum uelint, profecto certißimum indicium est, quod non sim Circumcisionis prædicator: Quemadmodum illi de me nefariè mentiuntur. Scandalum crucis Metonimicos ponitur pro offensione orta ex pura Euangelij prædicatione. Hac enim sola re offendebantur Iudæi, quod Apostolus Euangelio Christi Circumcisionem & ritus Mosaicos non adderet.

Vtinam abscindantur qui uos turbant.

Claudit obiurgationem uoto & imprecatione. Pro eo quod reddunt interpretres. Turbant in græco est ἀνασατοῦντες, id est, dimouentes è statu, Verè enim de statu disturbantur & dimouentur, qui ab Euangelij puritate ad ritus & traditiones abripiuntur. Vocabulum abscindi opponit Apostolus Circumcisioni, quasi diceret, qui uobis obtrudunt Circumcisionem, utinam ita ce-

dantur

dantur ipsi, ut prorsus de medio tollantur & pereant. Obserua Paulinam & Apostolicam interpretationem intelligendam esse per comparationem. Ita enim affecti esse debemus omnes, qui Christo nomina dedimus, ut omnia potius ruere cupiamus, quàm ut quicquam gloriæ Dei decidere patiamur. Sed quomodo hæc imprecatio stare poterit cum mandato Christi, quod extat Matth. 5. hisce uerbis? Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestros, Benedicite execrantibus uos, benefacite odientibus uos, & orate pro calumniantibus & persequentibus uos, ut sitis filij Patris uestri qui in cœlis est: qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Discernendum est primùm inter causas & personas. Deinde inter personas sanabiles, & blasphemas. Si causa ad nos tantùm pertinet, hoc est, si nobis facta est iniuria, quantum ad personam aut res nostras attinet, mandato Domini obtemperandum est, & precandum pro inimicis, ut resipiscant. At si causa Dei est, hoc est, si quis Euangelium Christi persequitur: Si quis doctrinam hæreticam propagare studet: si quis horrendis sceleribus Ecclesiæ Dei est scandalo. Breuiter, si quis quouis modo gloriam Dei, ædificationem Ecclesiæ, salutem hominum impedire conatur. Rectißimè huiusmodi malis se pij opponunt precibus. Nam quidquid Deo displicet, omnibus pijs meritò

displicebit. Deinde si personæ sanabiles uidentur, ex Christi mandato pro illis orandum est. At si blasphemæ fuerint personæ, optandum est, ut cito de medio tollantur, ne gloriam Dei impediant suis blasphemijs.

Vos enim in libertate uocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carni scilicet detis.

Rationem superioris sententiæ apponit Apostolus, sumtam à repugnantibus. Estq; sensus. Christiani sunt liberi. Ergo Christiani non debent seruilia Legis opera recipere. Nam si hoc fecerint, rursus se seruitutis iugo implicant. Quod autem fratres Galatas appellat, hoc partim ideo facit, ut quo sit erga ipsos animo intelligant Galatæ, Partim ut eos excitet ad attentè & benignè audiendum, quod de uero libertatis usu subiungit: Nimirum ne abutantur libertate sua, hoc est, ne inde præbeant carni occasionem lasciuiendi & perpetrandi omnem turpitudinem, sed potius sciant libertatem suam eò pertinere, ut repressa lasciuia carnis caritatem ueram colant: per quam intelligit omnia officia quæ proximis debemus. Hic locus manifestè docet, quatenus à Lege liberi sumus nos, qui in Christum credimus. Nullo enim modo à doctrina Legis, quæ bene uiuendi regula est

est (ea enim Regula ostendit Dominus, quid sibi gratum sit, quo cultu à nobis coli uelit. Proinde doctrina Legis eò spectat, ut nobis uiam certam & rationem firmam ostendat, qua uita nostra ad Dei uoluntatem confirmari poßit) sed à rigore & maledictione Legis per Christum liberati sumus, qui pro nobis est factus maledictum, ut benedictio Abrahæ nobis fieret, & ut promißionem Spiritus acciperemus per fidem. Est autem hic legis rigor, quod ipsa maledictionem omnibus denunciet, qui uel in uno apice lapsi fuerint. Neq; salutem promittit, nisi ijs, qui omnia mandata Dei perfectè & perpetuò obseruauerint. Ab hoc rigore et maledictione, etsi liberati sunt, qui credũt Euangelio: tamen ipsam legem, ut regulam benè uiuendi ab ipso Deo sibi monstratam amplectuntur. Etsi autem Legi nemo satisfacit: tamen placet incoata obedientia in ijs, qui retinent fidem et bonam conscientiam. Cuius perpetuum studium esse debet, fidere Deo, abijcere propositum peccandi, exercere pietatis & caritatis opera, & sedulo præstare quod uocatio postulat.

Sed per dilectionem seruite uobis inuicem.

Dilectio quæ ex fide oritur, omnium officiorum causa & moderatrix est, atq; ideo eam tan-

quam omnium officiorum caput proponit Apostolus. Obseruemus igitur præcipuum Christianorum officium esse, seruire sibi inuicem per dilectionem. Atq; hæc regula omnibus statibus, & omnium ordinum hominibus applicanda est. Magistratus pius ex fide diligat subditos: ex dilectione iura dicat, insontes tueatur, sontes puniat, ut custos Legis & minister Dei. Subditi ex fide magistratum diligant, ex dilectione honorem exhibeant, iussu magistratus militent, Breuiter, in omnibus tanquam Domino Christo obediant. Et perpetuò meminerint regulæ, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Minister uerbi ex fide diligat auditores, ex dilectione doceat, obiurget, erigat, consoletur. Auditores iuxta eandem Regulam diligant Ecclesiæ ministros ex fide, & ex dilectione obediant Euangelio, præstentq; obedientiam quam requirit ministerium.

Tota enim Lex in uno sermone impletur, uidelicet, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Rationem suasoriæ Propositioni subiungit Apostolus à Legis scopo seu summa seu præcipuo legis Capite. Lex impletur dilectione proximi. Ergo proximo per dilectionem seruire oportet, Cum constet ideo hominem cōditum esse, ut obediat

diat Conditori. Sed qui fit quod totam Legem dicat impleri dilectione proximi: An non prior Tabula de uero cultu Dei, quæ pars Legis est, præferenda est Secundæ tabulæ? Si dixeris totam Legem hic restringendam esse ad legem secundæ tabulæ (qui enim diligit proximum sicut seipsum, quicquid sibi factum uellet, proximo non denegat) coacta uidebitur interpretatio, Quare Synechdochen esse dicamus. Non enim infrequens est hic Tropus in scriptura, per quem sub nomine effectus comprehenditur etiam causa cuius causæ effectus ipse certißimum inditium est. Est enim Caritas proximi inditium timoris Dei & ueræ pietatis erga Deum. Per amorem enim Dei, ut recte ait Gregorius, amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur. Sed quid sibi uult implendi uocabulum, cum nemo Legi satisfaciat? Lex impleri tum demum dicitur, cum declaratur eius obedientia, idq́; respectu hominum, quibus pietas cordis erga Deum abscondita est, donec dilectiene proximi tanquam euidenti signo declaratur.

Si autem uos inuicem mordetis & deuoratis, uidete ne à uobis inuicem consumamini.

Alia ratio est de dilectione mutua, sumta ab effectu contrarij seu à repugnantibus. Dißidia &

odia mutua, mutuam adferunt perniciem. Ergo ut hoc malum caueatur, dilectione mutua alter alteri seruiat. Malum discordiæ metaphoris morsus deuorationis, & consumtionis significatur. Locus igitur hic apertus est, de odij & dißidij malo: unde non solum familias, ciuitates, prouincias, Verumetiam multa regna concidisse historiæ testantur.

Dico autem spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis nequaquam perfeceritis.

Iam totam Parenesin huius Capitis ad duo capita reuocat, quæ sunt spiritu ambulare, & carnis concupiscentijs reluctari: Vocabula Carnis, & Spiritus explicanda sunt: ut intelligatur quid sit spiritu ambulare, & quid sit carnis concupiscentiam non perficere. Vt aũt quid sit Caro & Spiritus sine errore, intelligamus, hæc in primis obseruanda est Regula. Quoties caro contraria oppositione comparatur cum spiritu, ut spiritus nomen Metonimicos pro regenerationis gratia, cuius autor est Spiritus sanctus, ponitur: Ita Carnis uocabulum eodem Tropo significat, quicquid nondum regéneratum est in nobis, uidelicet Carnis & peccati procliuem ad malum affectionem. Non igitur hic spiritus et caro secundum substantias

tias comparantur, ſed animæ qualitates inter ſe conferuntur. Nam eadem anima, quatenus ſpiritu Dei regitur, ſecum luctatur: quatenus ſpiritu Dei uacua eſt, ſuis concupiſcentijs indulget. Proinde ambulare ſpiritu, ſignificat iuxta motus Spiritus ſancti uiuere. Contrà uero Carnis concupiſcentiam perficere, eſt excuſſo ſpiritus imperio ſe Carnis illecebris dedere, ad obtemperandum carni in ſuis concupiſcentijs. Hæc exhortatio ad Rom. 6. hiſce uerbis legitur. Ne igitur regnet peccatum in mortali ueſtro corpore, ut obediatis peccato in concupiſcentijs corporis. Eſt igitur peccatum ueluti tyrannus quiſpiam uiolentus, Cuius prima adminiſtra eſt mens ipſa, ad ſuggerendos prauos motos: qui ubi commouerunt uoluntatem alteram peccati adminiſtra, naſcuntur ἐπιθυμίαι. Tum uero corpus ab animo impulſum, huc atq; illuc tranſuerſum rapitur tyranni imperio ſeſe ſubijciens. In hac re conſiſtit imperium peccati, quo nihil triſtius cogitari poteſt. Quoniam igitur peccatum ipſum inhabitans, ut tyrannum domeſticum, non poſſumus prorſus expellere, hoc conandum eſt ſaltem, ne regnet Tyrannus iſte. Regnat autem dum corporis obtemperamus concupiſcentijs. Quare qui in lucta ſuperior eſſe cupit, primis motibus ſe fortius opponere debet.

Nam Caro concupiſcit aduerſus

Spiritum, & Spiritus aduersus Carnem.

Ratio hæc ab utriusq;, id est Spiritus & Carnis studio sumitur, ac si diceret Apostolus: Cum uis gratiæ regenerationis, & Carnis uitiosa natura semper in pijs sibi inuicem aduersentur, necessariò incumbit pijs, ut excusso iugo carnis totos se spiritui dedant, perpetuum bellum contra concupiscentias prauas & motus, qui excitantur à Carne aduersus spiritum gerentes. Locus hic obseruandus est de perpetua lucta spiritus & Carnis in pijs. Vnde monemur Vigilantiæ, & Sobrietatis, & Orationis. Huc præceptum Domini pertinet, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Hæc autem sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunque uolueritis eadem faciatis.

Superioris sententiæ asseueratio est: cui finem subiungit, Vt non quæ uolueritis, *scilicet secundum carnem, hæc faciatis affectibus & actionibus, hoc est, ut non obtemperetis Carni iuxta concupiscentias corporis. Nam si secundum Carnem uixeritis, moriemini. Si uerò spiritu actiones Carnis mortificetis, uiuetis.*

Si autem ſpiritu ducimini, non eſtis ſub Lege.

Anticipat obiectionem hypocritarum, qui poterāt obijcere. Chriſtus nos redemit de maledictione Legis, non poterit igitur peccatum nocere. Paulus reſpondet, & fatetur eos non eſſe ſub Lege qui ducuntur Spiritu, Cuius ductus certißimum fidei teſtimonium eſt. Proinde non eſt quod glorientur de abrogata maledictione Legis, qui uiua fiducia Chriſti uacui ſunt. Nam ubi fides uiua eſt, ibi uerè ſentiuntur præſentia ſpiritus Chriſti, à quo excitantur in corde motus congruentes cum Lege & uoluntate Dei. Vnde etiam maxima pugna in Sanctis oritur aduerſus peccati relliquias, quæ quidem pugna durabit, donec hæc mortalis uitæ conditio manſerit. Hunc Pauli locum ualdè illuſtrat prima pars octaui Cap: ad Rom: Hic tres loci obſeruentur. Primus, quod uera nota filiorum Dei ſit ſe imperio ſpiritus ſubijcere: Secundus, quod Lex nihil iuris in eos habeat, qui ſecundum ſpiritum uiuunt: quantum quidem ad damnationem inferendam attinet, Sed tantum monet eos de uera uitæ inſtituendæ ratione ſecundum uoluntatem Dei. Tertius, quod fruſtra glorientur de uictima Chriſti, qui ſine pœnitentia peccatis ſuis indormiunt, & concupiſcentijs carnis ſe dedunt.

Manifeſ-

Manifesta autem sunt opera Carnis, quæ sunt: Adulterium, Scortatio, Impuritas, Proteruia, Idolatria, Veneficium, Inimicitiæ, Lis, Aemulationes, Iræ, Contentiones, Dissidia, Hæreses, Inuidia, Cedes, Ebrietas, Commessationes & his similia.

Quia de pugna Carnis & spiritus dixerat, nunc per enumerationem utriusq;, ingenium cùm spiritus tùm Carnis contemplandum proponit, ut ex collatione uis utriusq; apertius cognoscatur. Vocat autem Carnis opera quæ hic enumerat manifesta, propterea quòd de ijs conscientia facientis iudicare poßit ex Lege Dei, & scit Deo talia opera displicere. Porrò decem & septem Carnis opera hic recitantur ab Apostolo:

adulterium *Quorum Primum est μοιχεία adulterium, quod est alieni thori uiolatio, quantum autem scelus sit adulterium, ostendunt pœnæ, & alia quæ cum facto isto coniuncta sunt, 1. Cor. 5.*

Scortatio *Secundum πορνεία scortatio, cum extra matrimonij uinculum solutus & soluta (ut uocant) rem Veneream exercent.*

Impuritas *Tertium, ἀκαθαρσία, immunditia seu impuritas superiorum genus est. Complectitur enim omnium*

omnium libidinum genera, & nefanda illa potissimum, à quibus Christianorum aures & animi abhorrere debent. Requirit ergo Paulus ut pius sit Castus, corde, lingua, facto, gestibus.

Quartum ἀσέλγεια, proteruia siue lasciuia, quæ est turpißimarum prolium, hoc est, omnis libidinis mater turpißima. Est enim ἀσέλγεια lasciuia & incontinentia animi, nec uirtutem, nec probitatem, nec Deum, nec homines, reuerentis, sed procacitate se oblectantis. Significat etiam ἀσέλγεια flagitiosam exercendæ libidinis consuetudinem.

Quintum, εἰδωλολατρεία, id est, Idolorum cultus, hanc inter pœnas diserti ueri Dei ad Roman: numerat Apostolus. Sciamus ergo damnari non solùm cultum idolorum, uerùm etiam occasiones, et instrumenta, ut sunt simulacra & statuæ: unde Varro, teste Augustino, qui, inquit, populis instituerunt simulacra & metum demserunt & errorem addiderunt.

Sextum, φαρμακεία, Veneficium, hoc est, uenenis inficiendi ratio, unde ad artes magicas & incantationes refertur. Porro contra omnes magicas superstitiones teneantur hæ duæ Regulæ. Prima, Nulli rei tribuenda est potentia sine ordinatione Dei. Secunda, Pius iuxta uerbum Dei sciat, credat, speret, agat, Contra uerbum & præter uer=

ter uerbum nihil sciat, nihil credat, nihil speret, nihil agat. Qui enim contra facit, tentat, imò abnegat Deum, & ipsum contumelia afficit, Cuius contumeliæ autor dignus est morte iuxta Legem: Maleficos ne patiaris uiuere.

Septimum, ἔχθραι, inimicitiæ, hoc est, animorum dißidia: quæ oriuntur uel ex suspicione, uel ex superbia, uel ex aliqua iniuria, uel ex opinionum diuersitate. Hinc multa mala promanant, ut ex radice peßima peßimi fructus. Sed notandum est quod hic de inimicitijs agatur, quæ sunt carnis opera. Nam est & aliud inimicitiæ genus, quod est opus spiritus in Sanctis, uidelicet, cum Sancti & anima & corpore abhorreant ab impiorum consortio.

Octauum, ἔρεις contentiones, sunt uerborum iurgia ex animorum dißidijs orta: qualia semper sunt inter superbos: Iuxta illud Salomonis: Inter superbos semper iurgia.

Nonum: ζῆλοι, emulationes, Vocabulum zelus medium est, nam nunc in bonam, nunc in malam partem accipitur. Est.n.duplex zelus, nempe Spiritus et Carnis. Zelus spiritus est, qui ex spiritu Dei bono, & ex fide existens, scientiam & moderationem habet. Zelus carnis est, qui nascitur ex affectu carnis humanum spiritum per omnia sapiens, de quo Paulus ad Corinth: Cum in uobis sit

zelus & contentio, factiones, nónne Carnales estis, & secundum homines ambulatis? Hic zelus facit, ut doleamus alios nobis præstare, quibus superiores esse optamus.

Decimum: θύμοι, iræ, cum subito animus mouetur. Horat: Græcanice uocis uim exprimens, furoren breuem appellat, cùm ait. Ira, furor breuis est &c.

Vndecimum: ἐριθεῖαι, concertationes, hoc est, Ciuiles rixæ de fundis & alijs rebus: qualibus omnia prætoria plena sunt. Huiusmodi cõcertationes damnantur, quatenus Carnis opera sunt: quæ cum suscipiuntur à pijs sine animorum acerbitate, & odio in uitio non sunt, nam cum Deus approbet iudicia, non improbat concertationes forenses: modo carnis maculis non inuoluantur. Sed de his plura legantur in Enchiridio.

Duodecimum: διχοστασίαι, id est, dißidia, cum plures in una respublica factiones oriuntur. Vt apud Corinthios, alij Paulo, alij Cephe, alij Apollo adhærebant. In Papatu infinita exempla uidere est, ubi singuli ferè suum aliquod Caput tactitant, & sequuntur, eiq; adhærent cum aliorum contemtu. Hoc dißidij genus usite in Ecclesia uocatur schisma ad uerbum scissura, & est propriè animorum & uoluntatum dissensio: cum alij alijs magistris uel externis ritibus ita sunt addicti,

dicti, ut quamuis alioquin in ipsis religionis Capitibus consentiant: tamen animis sunt abalienati, et factiones quasdam ineunt, ut dixi de Corinthijs, Quorum alij Paulum, alij Apollo, alij Cepham iactabant. Hinc Schismaticus huiusmodi dissidiorum autor seu studiosus.

Hæreses

Decimum tertium: αἱρέσεις, hæreses. Est autem hæresis propriè electio. Inde factum est, ut pro eo accipiatur, quod latini Sectam uocant, id est, ut definit Cicero pro certa quadam disciplinæ formula factione, studio, ratione uitæ, Vnde hæreticus in Ecclesia dicitur, qui à recepta Ecclesiæ doctrina ita aberrat, ut contemto Dei & Ecclesiæ ipsius iudicio in sententia permaneat, & discipulis ascitis Ecclesiæ concordiam uiolet.

Inuidia

Decimum quartum: φθόνοι, inuidiæ, cum quis utitur alieno bono. Hoc uitium uilium & abiectorum hominum esse docet Aristoteles. Quam ob causam peritiores inuidiam per hydræ quandam speciem significari tradunt. Ea uero palustris fingitur, & è sordido cæno pullulare: quòd non nisi in abiecto uiliq; animo reperiatur inuidia. Hæc etsi pessimum uitium est, tamen in se aliquid boni habet. Nam est iustißima pœna, qua inuidus torquetur. Huc illud Alexandri dictum. Inuidi propria tormenta sunt. Huc etiam pertinet pul-

cerrimum

cerrimum illud Epigramma græcum, ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὑτῷ: τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην, Hoc est, Inuidia est res peßima, habet tamen aliquid boni in se, Nam inuidorum oculos & cor tabefacit. Meminerimus igitur dicti Socratis, Malum alienum ne feceris tuum gaudium, nec bonum alienum tuam tristiciam.

Decimum quintum, φόνοι, homicidia, hæc ex superioribus haud raro oriuntur. Quantum autem scelus sit homicidium, ostendit ratio quæ additur comminationi Genes. 9. Quicunq; effuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur sanguis ipsius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.

Decimum sextum, μέθαι, Ebrietates omnium flagitiorum consiliariæ peßimæ. Ebrietatem nasci ex uoluptatibus corporis nemo non intelligit. Cuius mala Ambrosius recitat hisce uerbis: Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas: Innumeris uina nocuerunt, nulli parsimonia: plæriq; inter Epulas fudere animas, & mensas proprio repleuere sanguine. Alijs ebrietas uocem simul rapuit & sensum, etsi aliquibus ebrietas noxia non fuit. His ruinam fecit Ebrietas, alios in crimen egit ebrietas, etsi ipsa crimen non sit, Gobrius re-

ferente Athenæo lib. 10. ita ait de Ebrietatis malo, τὸ γὰρ ἐνδελεχῶς μεθύειν, τίν᾽ ἡδονὴν ἔχει; ἀποστεροῦντα ζῶνθ᾽ αὐτὸν τοῦ σωφρονεῖν, ὃ μέγιστον ἡμῶν ἀγαθὸν ἔχει ἡ φύσις, Hoc est, aßiduè inebriari quam uoluptatem habet? Cum uiuens se temperantia priuet. Quod maximum natura nostra bonum habet. Proinde memores simus præcepti Domini & Saluatoris nostri. Cauete, ne Corda uestra grauentur Crapula & Ebrietate.

Decimum septimum, κῶμοι, Commessationes, hoc est, nocturnæ heluationes, & petulantes, ebriorum cantiones, cum iurgijs & contumelijs decantatæ. Quod autem addit in fine enumerationis Apostolus ET HIS SIMILIA. eò pertinet, ut sciamus, multa plura esse opera Carnis, quam quæ hic enumerata sunt. Pertinet itaq; particula hæc ad genus, in quo multa plura sunt, quàm quæ breui oratione numerari poßint.

De quibus prædico uobis, quemadmodum & prædixi, quod qui talia agunt, Regnum DEI non poßidebunt.

Addit comminationem grauißimam: idq; in hunc finem, ut qui amore honesti & uirtutis non

trahan-

trahantur pœnis, saltem perterrefiant, & tandem metu suppliciorum imminentium officium præstent. Hæc sententia cum illa congruit, quæ est 1. Corinth. 6. An nescitis quod iniusti regnum Dei hæreditate non consequentur? Ne erretis, neq; fornicatores, neq; idololatræ, neq; adulteri, neq; molles, neq; ἀρσενοκοῖται, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; contumeliosi, neq; rapaces Regnum Dei hæreditate consequentur. Hæc & huiusmodi aliæ sententiæ ex Lege & Euangelio interpretandæ sunt. Iustißima legis sententia est damnatio transgressorum Legis, Sed Euangelium habet ἐπιείκειαν dulcißimam, Lucæ decimotertio, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Pœnitentibus igitur uenia offertur. Atq; hoc est quod Paulus subiungit ad Corinth: Et hæc quidam eratis, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu, & in Spiritu Dei nostri.

Hoc confirmatur plurimis exemplis, ut Petri, incesti Corinthij, Dauidis, Manaßis, & aliorum. Quare hic Ezechielis sententia tota tenenda est. Cùm recesserit inquit, impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet. Debet itaq; hæc comminatio intelligi cum conditione perseuerantiæ in malo sine pœnitentia subsequente. Nemini enim negatur ad gratiam

reditus, modo uera fide, & non fidei spectro ad Deum conuersus fuerit.

Obseruandus hic locus est, qui docet clarissimè, quòd flagitiosè uiuentes, nec sint iusti, nec fidem habeant. Si enim qui credit saluatur, & talibus flagitijs indulgens damnabitur, fieri nequit, ut flagitiosè uiuens fidem retineat & Spiritum sanctum. Hæc proinde comminatio admoneat nos timoris Dei, ac maioris diligentiæ in uita formanda, ne carni habenas laxemus, ac ita exponamus nos periculo damnationis. Nam infiniti homines delinquentes contra conscientiam, iusto Dei iudicio traditi sunt in reprobam mentē, & in æternum perierunt. Quorum exemplo nos moniti retineamus fidem & bonam cōscientiam, caueamusq; ne regnet peccatum in mortali nostro corpore. Nam si spiritu, ut inquit Paulus, omnes actiones Carnis mortificaueritis, uiuetis. Non igitur indulgeamus prauis affectibus, sed ijs fide & spiritu S. repugnemus. Quod qui faciunt haud illos expectata seges uanis eludit auenis. Tales enim manent in gratia, retinent SPIRITVM SANCTVM, sunt templa Dei, & hæredes uitæ æternæ.

Fructus uero Spiritus est Caritas, Gau-

Gaudium, Pax, Lenitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Mansuetudo, Temperantia.

Per antithesin fructus spiritus recitat Apostolus, sed pauciores: cum quibus tamen qui omittuntur natura coniuncti sunt. ~~Primùm hoc~~ *loco obseruandum est, quod non dicit Apostolus opera spiritus, ut supra, opera Carnis, sed fructus spiritus, idq; ob tres causas.* ~~Harum Prima est,~~ 1
quòd summe delectent & grati sint odore & forma, non secus atq; pulcerrimi & suauißimi fructus, qui in delitijs habentur. ~~Secunda,~~ *quòd in* 2
primis prosint ijs qui illis delectantur. Nam animam potißimum hominis partem recreant, confortant, conseruant, & à uenenis serpentis tuentur. ~~Tertia, quia ut~~ *fructus herbarum &* 3
arborum ex spiratione naturæ quæ in arboribus est promanant: Ita hi suauißimi fructus spiratio quædam sunt Spiritus sancti, quo aguntur fideles. ~~Quare tametsi~~ *sæpè in hominibus non regenitis illustria mansuetudinis, fidei, temperantiæ, & liberalitatis exempla conspiciuntur: certum est tamen fallaces dumtaxat esse laruas.* ~~Est præclara~~ *quædam uirtus in Fabricio temperantia, in Scipione comitas & liberalitas, In Fabione tolerantia, Sed in hominum conspectu & ciuili tantùm æstimatione.*

matione. Apud Deum uero nihil purum, nisi ex fonte fidei & Spiritus promanat. Porrò, priusquam singulorum fructuum spiritus, qui hic exempli causa recitantur, declarationem accedam, definitionem fructus spiritus colligam, ut conspiciantur causæ, quæ necessariò hic concurrunt. Fructus itaq; spiritus est cogitatio, uel affectus, uel opus congruens cum Lege & uoluntate Dei, per spiritum Christi ex fide pullulans, spiransq; odorem gratißimum Deo, Nam in eius gloriam nascitur, Vnde & gratia potius quam perfectione acceptus. In hac definitione quinq; causas cuiusuis fructus spiritus complexus sum: quæ necessariò requiruntur ad omnis boni operis rationem. Harum Prima est præceptum seu Lex, in qua uoluntas Dei cernitur. Secunda est spiritus Christi, Nam qui aguntur spiritu Dei, hi sunt eius. Tertia est fides, sine qua nemo Deo placere potest. Quarta est finis actionis ultimus, uidelicet gloria Dei. Quinta est gratia, qua boni consulitur defectus, & tegitur quidquid est uitij in opere.

Iam uideamus ordine fructus spiritus, quos hic Apostolus nouem numerat, non quod non sint plures, sed exempli causa illustriores quosdam pro ponit.

PRIMVS, ἀγάπη Caritas, hæc, ut definit Augu-

Augustinus, est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter *se, & proximus propter* Deum. *Est itaq; duplex* Caritas, Vna qua Deum *prosequimur, Altera qua* Creaturam. *Caritas qua* Deum *prosequimur, est affectus cordis purus ex fide per spiritum* Christi *creatus, qui facit, ut nihil cognitioni* Dei *& obedientiæ erga ipsum anteponamus,* Iuxta *illud: Si quis me diligit, sermones meos seruabit.*

Ea *Caritas, qua creaturas complectitur, habet plures gradus, Quorum* Primus *est, quo fratres necessitudine spiritus nobis coniunctos diligimus. Secundus, quo eos qui aliqua necessitudine carnali nobis deuincti sunt prosequimur.* Tertius, *quo reliquos ignotos amamus.* Quartus, *quo inimicis benefacere laboramus, exẽplo* Patris *cœlestis, qui sinit* Solem *suum oriri super bonos & malos. Hæc proximi* Caritas *mater est omnium officiorum in uita.* Quare Paulus 1. Corinth. 13. *eam non immerito anteponit omnibus rebus quibus excellere possunt homines, hoc argumento: Quæcunq; eiusmodi sunt, ut suis possessoribus nihil prosint, nisi coniunctam habeant caritatem moderatricem, meritò caritati cedunt eiq; postponuntur. Sed huiusmodi sunt genera linguarum,* Prophetiarum, *mysteriorumq;* Dei *scientia, fides edendorum miraculorum, facultatum erogatio in*

pauperes, martyrium pro doctrinæ confeßione susceptum. Hæc igitur merito caritati cedunt, eiq; multis modis postponenda sunt. Est proinde Caritas ex fide manans, ut mater omnium officiorum in uita, ita unica bonorum operum Regula: ut quæ sola rectè moderetur usum donorum Dei. Deinde ut Paulus commendatiorem nobis reddat Caritatem erga proximum, addit duo grauißima argumenta. Quorum Prius à fructibus. Posterius à diuturnitate sumitur. De fructibus ita ait, Caritas patiens est, benignè agit, Caritas non inuidet, non agit insolenter, non inflatur, nihil indecore agit, non quærit sua ipsius, summa, non prouocatur, non cogitat malum, non gaudet ob iniusticiam, Congaudet autem ueritati, omnia fert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. De diuturnitate autem subiungit hoc modo. Caritas nunquam excidit, siue prophetiæ abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue cognitio abolebitur. Hanc alibi Apostolus uinculum perfectionis nominat, eo quod sola Caritate conseruatur omnium rerum incolumitas & integritas, cùm in Ecclesia tùm in Politia & œconomia. Hac enim sublata omnium rerum iustam harmoniam diussolui necesse est.

Gaudium

SECVNDVS, χάρα gaudium. Gaudium propriè est effectus animi oblectans se uel præsenti uel

ti uel exspectato bono: siue id reuera tale est, siue opinione.

Huius genera uariant iuxta diuersitatem obiectorum. Nam, ut ait Augustinus, Vnde quis gaudeat plurimum interest. Tale igitur est gaudium, quale est eius obiectum. Proinde rectißimè ueteres Theologi triplex gaudium statuunt, Vt unum sit culpæ, Alterum gratiæ, Tertium gloriæ. Primum genus est mundi. Secundum & Tertium solius Ecclesiæ Christi, ut simul unum Christi gaudium censeantur. Mundi gaudium impiorum est, uanitatis est, fucatum est, momentaneum est. Contra Christi gaudium ueritatis est, sinceritatis est, perpetuitatis est.

Gaudium Mundi seu Impiorum, quod ueteres Culpæ nominant, est ueluti phreneticorum & amentium, & nascitur uel ex alieno malo & damno, cuius ipsi autores sunt. & dicitur hoc phreneticum gaudium Græcè ἐπιχαιρεκακία, de quo Salomon ita ait. Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peßimis. Ab hoc dehortatur Seneca cum ait, Alienum malum tuum ne feceris gaudium. Vel oritur ex præsentis boni opinione, cum reuera nihil in bonis haberi poßit, ubi bonorum autor sua gratia non adfuerit. Quare hoc bonum fallax & fugitiuum est. Proinde rectè de

hoc genere gaudij Martialis cùm ait: Gaudia non remanent, sed fugitiua uolant.

2 Gaudium Christi seu piorum, quod et gratiæ dicitur, uerum & perfectum gaudium est, quod non solum ex præsentis boni fruitione, uerumetiam ex certissima futuri boni exspectatione concipitur. Hoc gaudium situm est in fiducia remissionis peccatorum, in inhabitatione totius Trinitatis, in expectatione promissæ beatitudinis, in meditatione legis diuinæ, in cultu diuino, in tranquillitate conscientiæ, in honesta & sancta uita, in cruce & afflictione propter Euangelium, in bonis & commodis totius Ecclesiæ. Breuiter, hoc gaudium in DEO est per CHRISTVM IESVM. Vnde Paulus. Gaudete in Domino. De hoc gaudij genere Bernardus in quadam Epistola sic scribit. Magnum est mihi gaudium, quod te ad uerum & perfectum gaudium uelle tendere comperi. Quod non est de terra, sed de cœlo, id est, non de hac conualle plorationis, sed de illa, quam fluminis impetus lætificat Ciuitate Dei, & reuera illud uerum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur. Et quod cum possederis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas mœror est. Omnis suauitas, dolor est: Omne dulce, amarum: Omne deco-

decorum, fœdum: Omne postremo quodcunq; aliud delectare poßit, molestum. Hactenus Bernardus.

Augustinus uero in hunc modum. Est gaudium, quod non datur impijs, sed ijs qui te gratis colunt: Quorum gaudium tu ipse es. & ipsa est beata uita gaudere ad te, de te, propter te. Hæc Augustinus. Hoc gaudium tantisper manet, donec fides cum bona conscientia retinetur. Conscientia uastata, & excussa fide, hoc incomparabile bonum amittitur: Cui succedit ilias dolorum, cùm in hac uita, tùm in futura. Porrò ubi hoc uerum gaudium poßidetur, etiam in alijs donis Dei moderatè pijs gaudere licet, Vt pius maritus gaudet de honestate coniugis, de liberorum profectu, & quilibet pius præsentibus uitæ commodis oblectari potest, ita tamen, ut Deus, qui est, autor bonorum, sit præcipuum gaudij nostri obiectum, in quo solo acquiescimus.

Gaudium gloriæ exspectatur, quod erit omnia in omnibus qui in uera inuocatione CHRISTI hinc discedunt, quod durabit in omnem æternitatem. Hoc gaudium uerè est inenarrabile 1. Petri 1. in quo exultatis lætícia inenarrabili. Verè est purum ab omni dolore & gemitu, iuxta illud Esai. 64. Et læticiam obtinebunt, &

fugiet dolor & gemitus. Verè est plenum, unde Dominus iubet orare. Petite, ut gaudium uestrum sit plenum. Verè est infinitum Esai. 35. Læticia sempiterna super capita eorum, & rursus, gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum. Et Christus Iohan. 16. Gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Huius gaudij gustum quendam percipimus in hac uita in regno gratiæ, unde tendimus ad Regnum gloriæ.

pax

TERTIVS, εἰρήνη Pax. Hic opus est accurata explicatione, ut intelligatur, quæ nam sit illa pax, quam Paulus hoc loco inter fructus spiritus numerat. Vocabulum Pacis duo in uniuersum significat. Primùm res proprias & secundas. Deinde concordiam, in qua est fauor & beneuolentia. Sed hæc Concordia est triplex. Concordiam enim habent homines aut cum Deo, aut alij inter alios, aut cum seipsis.

pax triplex

Concordiam & pacem habemus, cum Deo fide iustificati, & reconciliati per Christum, qui inimicitiarum causas sustulit. De hac canunt Angeli nato Domino, Gloria in excelsis Deo, In terra pax, Hominibus bona uoluntas.

De hac Pace Malachias prædixit Cap. 2. Pactum meum fuit cum eo uitæ & pacis. Et Ezechielis 37. Et percutiam cum illis fœdus pacis, Pa-

ctum

ctum sempiternum erit eis, & erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Cum hisce congruunt uerba Apostoli 2. Corinth. 5. Omnia autem ex Deo, qui nos sibi reconciliauit per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Et ad Ephes. 2. Nunc autem in Christo Iesu uos qui longè eratis aliquando, facti estis prope in sanguine Christi, ipse enim est pax nostra. Hęc pax hominis cum Deo rectißimè definitur esse mutuus consensus Dei & hominis, Dei quidem offerentis gratiam & reconciliationem per & propter filium, Hominis uero oblatam gratiam fide recipientis & pollicentis Deo in posterum fidelitatem & obsequium.

In huius Pacis consideratione plura expendenda sunt, ut magis nobis hæc inæstimabilis pax dulcescat.

Primùm considerandæ sunt partes dißidentes, quæ sunt Deus & homo. Deus quidem, qui summè felix est sine homine. Homo uerò, qui extremè miser est sine Deo.

Secundò, causæ discordiæ inter Deum & hominem ueniunt spectandæ, In homine est peccatum, quo homo Deum proditoriè deseruit: quod peccatum æstimabitur magnitudine, multitudine,

pœna,

pœna, & obiectio. In Deo est summa iusticia, qua Deus peccato uerè irascitur, Et illud iustißimis pœnis punit.

Tertiò, quia reconciliatio fieri non potuit sine Mediatore, considerandus est Mediator, nempe æternus Dei filius: qui postquam uenit plenitudo temporis, missus est à Patre in mundum & assumsit humanam naturam: ut quemadmodum Patri ab æterno uera diuinitate iunctus est, ita nobis societate naturæ humanæ iungeretur: quo poßit esse Mediator inter Deum & hominem. Cur autem oportuerit Mediatorem esse uerũ Deum, Cur oportuerit esse uerum hominem, & cur oportuerit esse unam Personam, uide in historia domini super 1. Cap. Ioan.

Quartò, quia Deus iustißimus est, requiritur compensatio iniuriæ illi factæ. Hæc compensatio facta est per obedientiam Mediatoris & uictimam, ut enim hac expiat peccatum, ita illa iusticat expiatos.

Quintò, facta compensatione fit reconciliatio: quæ est placatio Patris per Filium, & receptio hominis in gratiam Dei.

Sextò, interuenit & pactum reconciliationis. In Deo quidem liberalis & gratuita promißio ueniæ, In homine uero fides qua hæc gratuita promißio

missio accipitur & retinetur, fit enim promissio cum conditione fidei.

Septimò, cogitanda est huius reconciliationis obsignatio: quæ fit per Sacramenta, Baptismum, & Cœnam Domini, et per Arrhabonem spiritus. Ita enim Paulus ait: Qui confirmat nos uobiscum in Christum, & unxit nos Deus, qui & obsignauit nos, & dedit Arrhabonem spiritus in corda nostra. Hic igitur spiritus in cordibus Sanctorum motus ciens congruentes cum Lege & uoluntate Dei, est ueluti Arra quædam, qua certificamur de promissa hæreditate: quam in resurrectione iustorum plenam occupabimus.

Octauò, cogitanda est promulgatio huius pacis: quæ est uniuersalis, & habet additam conditionem fidei, iuxta mandatum Christi: Ite in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui uero non crediderit, damnabitur. Hæc promulgatio opponatur duplici tentationi, scilicet particularitatis & indignitatis. Testatur enim mandatum quod nulla sit προσωποληψία apud Deum, sed promiscuè offerat salutem omnibus fide accipiendam.

Nono & ultimo, dulcissimi huius pacis fructus legantur, qui sunt accessus ad Deum, sanatio uulneratæ conscientiæ, gaudium inenarrabilis spiritus, lætus discessus ab hac uita, & in omni æternitate

nitate fruitio conspectus Dei & sanctorum spiritu-
tuum, & societas iucundißima æternum mansu-
ra cum omnibus ijs, qui hic in terris nobiscum
Deum coluerunt. Deniq; celebratio Dei in omni
æternitate. Hæc nouem membra utiliter consi-
derantur, quoties de pace inter nos & Deum ini-
ta cogitamus, excitant enim nos ad timorem, fi-
dem, gratiarum actionem, & ad studium conser-
uandæ huius pacis, qua amissa nihil est homine ca-
lamitosius, nihil miserius, Nam hac pace destitu-
tus, erit socius Diabolorum in supplicijs nun-
quam finiendis. Secundum pacis genus est, quo
homines inter sese mutuam colunt concordiam.
Quàm autem hæc pax sit necessaria in omni gu-
bernatione, ex eo patet, quod unum sit ex illis
summis bonis, quæ in qualibet congregatione ne-
cessaria sunt. Sunt autem in qualibet congregatio-
ne summa bona, uera pietas, honesta disciplina, &
sancta concordia, seu pax. Hæc tria ita conspi-
rasse uidentur, ut uno eorum expulso reliqua si-
mul discedant. Vbi enim non est pietas uera, qualis
disciplina & pax poterit illic esse? Contemta di-
sciplina, honestati & paci nullus relinquitur lo-
cus. Pace turbata, pietas & disciplina iacent.
Non igitur frustra Paulus iubet fieri preces, ut
tranquillam & quietam uitam degamus in omni
pietate & honestate. Etsi autem hæc pax in poli-
tijs & œconomijs magnum est & inæstimabile
bonum,

bonum, omnium tamen maximè opus est Ecclesiæ concensu doctrinæ, & eorum qui docent inter sese beneuolentia: Vt rectè Basilius dixit, Non tam sinistræ opus est dextra quam Ecclesiæ concordia doctorum. De hoc doctorum consensu in doctrina & mutua beneuolentia dulcißimè concionatur Psalm.133. pulcerrima enim pictura bonum pacis nobis commendat, qui cum facit mentionem Balsami, quo Aaron unctus est, significat unde uera concordia in Ecclesia principium capiat. Nam ut Balsamum destillat à uertice Aaronis in Barbam, & in oras uestimenti, ita una doctrina ab uno Summo Sacerdote, & uertice Christo spersa doceatur à toto cœtu Sacerdotum: quod cùm fit uera animi beneuolentia se inuicem fouent, non secus atq; membra corporis uncta nobilißimo Balsamo recreantur & fouentur. Et addit Psalmus maximum præmium studij huius pacis. Quoniam, inquit, ibi promisit Dominus benedictionem & uitam usq; in seculum. PROINDE huc optimè quadrat illud Salustij, Concordia res paruæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Porrò cum Paulus Ephes: scribit in hunc modum: Solliciti sitis seruare unitatem spiritus, cùm omni humilitate et mansuetudine, cum longanimitate sufferentes alij alios in dilectione & uinculo pacis, Duo docet, uidelicet & quibus modis retineatur concordia, & qui nam sint fontes omnium dißidiorum

diorum in Ecclesia. Vt enim tres sunt ueluti nutriculæ suauiter fouentes piam concordiam, uidelicet, uera & incorrupta doctrina, humilitas, & patientia: Ita tres furiæ ex inferis emissæ distrahunt Ecclesiam, quæ sunt corruptela ueræ doctrinæ, ambitio & impatientia. Aduersus has furias nemo potest satis muniri ulla quantumuis magna præstantia uirtutis, sine agnitione & imitatione Christi. In huius ergo humilitatem & patientiam uero corde intueamur, & reprimamus nos: ne aut intumescamus, aut cupiditate uindictæ discordias excitemus. Quod si hac ratione affectus nostros repreßerimus, testimonium spiritus utpote eius germanum fructum in nobis habitantis habemus. Verùm cum Diabolus perpetuas excubias agit aduersus Ecclesiam Christi, & sæpè in castra Ecclesiæ suos speculatores mittit, ut sunt hypocritæ, flagitiosi, schismatici, hæretici, blasphemi, non est quod speremus in Ecclesia diurnam pacem. Quare hic locum habet Versiculus. Interdum pax est, pacis fiducia nunquam. Quapropter nos qui ciues Ecclesiæ sumus, & ut Dauid loquitur, Socij timentium Deum, πανοπλίαν Christianam sumamus, & pugnemus uerbo & precibus aduersus hostem nostrum Diabolum, & aduersus eius satellites: Ita futurum est, ut retineamus pacem cum Deo, etiamsi bellis & tumultibus totus collabatur orbis. Cæterum quan-

quantùm bonum ſit pacis in politijs & œconomijs, ex eo patet, quod ſine ea nulla domus, nulla Reſpublica conſeruari poßit: Quemadmodum, proh dolor, experientia docet, non ſolùm publicè, uerùm etiam priuatim in multorum domibus. Tertium genus concordiæ eſt, cum homines cum ſeipſis pacem habent, hoc eſt, cum fruuntur animi tranquillitate, quæ græcis εὐθυμία dicitur. Verùm hic etiam opus eſt accurata diſtinctione. Nam cum triplex ſit dißidium in homine, neceſſe eſt ei triplicem pacem opponi. Primùm dißidium in homine eſt perturbationum & affectuum animi aduerſus rationem, hoc dißidium agnoſcit Medea apud Ouidium cùm ait: Laudo melioraꝗ proboq;, deteriora ſequor. Quod laudet & approbet meliora, rationis iudicium eſt. Quod autem ſequitur contraria, ex impetu fit perturbationum, opponentium ſe rationi. De hoc dißidio multa Philoſophi ſcripſerunt. Plato dicit, in unoquoq; noſtrum duos ingenitos eſſe conciliarios, prorſus ſibi contrarios & amentes, uidelicet uoluptatem & dolorem. Hi cum modum non ſeruant, reprimendi ſunt, ut idem Plato ait, φόβῳ, νόμῳ, λόγῳ, metu, lege, ratione. Ad hos affectus futurorum opiniones accedunt, ante dolorem quidem timor, ante uoluptatem uero conſcientia: Vnde fit quòd affectus ſint in nobis ueluti nerui aut funes trahentes nos retrahenteſq; ad contra-

trarias actiones: ubi uirtus & uitium discreta sunt. Ratio autem iudicat & dictat quidnam melius & quid peius. Nam hanc tractationem unam uidelicet uirtutis sequendam semper, neq; unquam relinquendam, sed hac cæteris omnibus obtinendum esse suadet. Hanc tractationem rationis Plato auream & sacram esse pronunciat, cæteras uero uidelicet affectuum opponentium se rationi duras & ferreas esse, quæ non sunt sequendæ. Hoc dißidium perturbationum & rationis, etsi prorsus in hac uita non cessat, tamen fide iustificati, in quibus peccatum mortificatur, gustum quendam eius pacis habent, quæ huic dißidio opponitur. Dum enim cor purificatur fide, affectus mitiores & puriores redduntur: Vnde fit, ut minus sint molesti rectæ rationi. ad hanc purificationem etiam multum facit honesta educatio, pia conuersatio, fuga occasionum, & negocia.

Secundum dißidium in homine est tantùm in renatis, quod est Carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus Carnem. Hic nulla pax speranda est. nam ἄσπονδος πόλεμος est inter carnem & spiritum. hoc est bellum irreconciliabile: quod impulit Apostolū ut exclamaret: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? sed gratias ago Deo meo. Hic Paulus luctam carnis aduersus spiritum, & uictoriam spiritus contra

contra carnem describit: quæ caro uicta non quiescit, sed alijs atq; alijs telis uictorem spiritum adoritur. unde fit ut nulla prorsus pax inter carnem & spiritum expectari poßit.

Tertium dißidium in homine est terrorum conscientiæ sensu iudicij diuini perculsæ, & fidei. Huic opponitur pax mundo incognita, de qua potißimum hic agit Apostolus: quæ sane pax est incredibilis illa, & constantißima mentis recreatio & tranquillitas: qua fit ut homo de beneuolentia Dei securus, superatis conscientiæ terroribus, clamet cũ Dauide: Dominus illuminatio mea, & Salus mea à quo timebo? Item, In te Domine spero, non confundar in æternum. Vna igitur fides, quæ uerbo Dei credit, Christum ueram iustitiam apprehendit, terrores conscientiæ superat, & hanc dulcißimam pacem adfert, quæ maximè sentitur in seria inuocatione: quæ propterea fortißima Turris dicitur à Salomone, cùm inquit: Turris fortißima nomen Domini, ad hanc confugiet iustus & saluabitur.

QVARTVS, μακροθυμία longanimitas siue lenitas, est fructus spiritus reprimentis animum, ne statim aßurgat in iram aut uindictam: idq; spe emendationis eius, qui læsit. Hæc uirtus paßim in Prophetis Deo tribuitur. Vnde Da-

uid aliquoties consolationem petit, cùm ait: Bonus & clemens Dominus, tardus ad iram, id est, μακρόθυμος & multæ misericordiæ. Huius cœlestis Patris exemplo lenitati studendum est, cauendumq́; ne præcipites feramur in iram, aut uindictam, uicti ab importunitate carnis. Ex qua re postea in multos alios lapsus facillimus est casus, unde difficilè pedem reuocare licet. Iuuerit proinde proponere nobis CHRISTI exemplum, & Sanctorum, qui ob hanc uirtutem prædicantur. Iuuerit cogitare de nostra imbecillitate, qua & nos alios sæpißimè leui de causa offendimus. Iuuerit etiam meminisse, quod qui offenderunt, fratres sint in Christo, aut fieri possint. Huc promißiones refero. Beati mites, beati pacifici.

Benignitas

QVINTVS, χρηστότης benignitas. Vt quartus fructus spiritus à uindicta & ira nos reuocat, ita quintus ad benignitatem inuitat: quæ facit ut uerbis & factis proximo commodo & usui esse studeamus. Non enim, ut ait Augustinus, sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est: & parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse.

Bonitas

SEXTVS, ἀγαθοσύνη bonitas. Hæc habitus est animi amicè complectentis & fouentis alios.

alios. Vnde, tanquam riuulus, benefaciendi studium manat. Vel est uirtus, quæ facit ut animus semper ad optima quæq; sit propensißimus. Huic opponitur πονηρία, quæ contrarijs malis delectatur.

SEPTIMVS, πίστις fides. Non hic loquitur Paulus de fide iustificante, sed tantùm de ea fide, quàm Cicero docet fundamentum iusticiæ esse, uidelicet, cum quod dictum est fit. Est enim constantia & ueritas in dictis & factis. Hæc fides ut est fructus spiritus, differt à fide Scipionis, efficiente causa, formali, & finali. Efficiens causa fidei in Dauide, est ratio reformata manu Dei, fiducia Mediatoris, & Spiritus sanctus. Forma eius quod ex puro corde profecta ueritatem & constantiam tueatur. Finis est principalis, ut præstetur Deo obedientia & cultus. At in Scipione nec fiducia Mediatoris est, nec Spiritus sanctus. Deinde cor eius immundum. Postremò spectatur non Dei gloria, sed propria utilitas. Hæc differentia sumta ex causis etiam alijs uirtutibus, quas enumerat Paulus, accommodetur, Vt manifestum sit discrimen inter umbras uirtutum, quæ sunt in non renatis, & ueras uirtutes, quæ sunt in conuersis.

OCTAVVS, πραότης mansuetudo. Vt

mansuetus est, iuxta Chrysostomum ille, qui cum prouocatus fuit, nec malum cogitat facere, nec facit: ita mansuetudo uirtus rarißima, habitus est, quo quis læsus remittat noxam, & de uindicta non cogitet. Hanc suis Philippensibus commendat Paulus, *cum inquit*: Mansuetudo *uestra nota sit omnibus hominibus.* Ad hanc hortatur & Dominus *proposito proprio exemplo, inquiens,* Discite *à me, quia mansuetus sum, & humilis corde.* Coniungit hic Dominus *mansuetudinem, & humilitatem, ut ostendat, unde uera proficiscatur mansuetudo, non enim aliunde prouenit, quàm ex uera cordis humilitate.* Hæc, *ut ait* Bernardus, *ueluti triplici ariete concutitur: uerborum iniurijs, damnis rerum, corporis læsione.* In his tribus *omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis.* Probata est *illa uirtus quam nihil uidetur concutere potuisse.*

Temperantia

NONVS ἐγκράτεια *continentia, siue temperantia.* hac *cupiditates frenamus, & moderamur omnes actiones, uerba, gestus, facta ad normã iustitiæ, & præcipue uoluptatibus imperamus.* Bernardus *hanc definit esse refrenationem cupiditatis aduersus ea, quæ carnaliter delectant.* Op*ponitur ergo hæc uirtus omni intemperantiæ cibi, potus, ueneris, & aliarum rerum.*

Aduer-

Aduersus huiusmodi non est Lex.

Cum hac sententia congruit dictum Pauli *prioris ad* Timoth: 1. *Scimus quod Lex non sit iusto posita, sed* ἀνόμοις, *id est, exlegibus seu contemtoribus legis.* Hic *iustus & contemtor* Legis *opponuntur. Vt ergo contemtor est qui mandatum* Dei *pro nihilo habet, & pro suo furore ruit in omnes carnis concupiscentias, ut libidini peccandi satisfaciat: ita iustus est, in eo loco* Pauli, *qui ex fide timet* Deum, *& petit cum* Dauide: *Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad auaritiam.* Atq; *ita spiritu pugnat aduersus corporis concupiscentias, ut aliqua saltem officia* Deo *grata faciat. Significat ergo utrunq; dictum* Pauli, *quòd legis rigor seu damnatoria sententia nihil iuris in eos habeat, qui spiritu militant contra* Carnem, *& habent propositum pium sanctè & innocenter uitam suam instituendi, etiamsi ad amußim omnia non præstant quæ* Lex *requirit: sed tantum aduersus eos, qui mandata* Dei *contemnunt, qui flagitiosè iuxta carnis desideria uiuunt,* Lex *suum exercet imperium, coercendo, accusando, damnando & puniendo, idq; ideò, quia tales adhuc extra* Christum *sunt, ut qui nondum sint fide iustificati, id quod carnis imperium in ipsis conuincit.* Nam *spiritus fidei, ubicunq; est, huiusmodi*

carnis operibus se opponit, & perpetuò aduersus ea militat uerbo & precatione.

Qui uero Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs.

Anteuertit obiectionem, quam quis in hunc modum instituere poterat. Vbi ergo liberatio à Lege per Christum? an non ad omnes se extendit? Respondet Apostolus, non esse liberatos qui malè uiuunt, filij enim Dei carnis illecebris renunciant, & affectus prauos imperio spiritus domare nunquam desinunt. Est autem crucifigere carnem, compescere affectus carnis, eosq́; refrenare, ne ferociant, & sint efficaces ad fructificandum peccato. Hanc carnem illi soli crucifigunt, qui sunt Christi, id est, fide renati. Verùm si particulam δὲ pro γὰρ accipere placet: quod non raro fit, planior erit sententia, & pertinebit ad proximi superioris dicti confirmationem. Nam causam reddit, cur aduersus huiusmodi non sit Lex, & poterit hæc ratio Dialecticè in hunc modum accommodari: Qui Christi sunt, à Lege sunt liberi. Qui carnem crucifigunt cum affectibus, & concupiscentijs, hoc est, qui secundum spiritum uiuunt, & fructus spiritus edunt, sunt liberi à

ri à Lege. Hæc fusius explicantur ad Roman. 8. Caro quemadmodum supra admonui, significat ipsius naturæ uiciositatem, quæ est in homine. πάθημα huius naturæ uitiosæ paßio & affectio est, qua spiritus affligitur, ac premitur tanquam cruce aliqua à carne sibi imposita. ἐπιθυμία concupiscentia carnis titillatione, qua instigatur homo ad obtemperandum illecebris carnalibus. Hæc proinde mater est omnium operum carnis, quæ supra Apostolus enumerauit. Crucifigendi uocabulo utitur Paulus pro genere, hoc est, pro uerbo mortificandi, idq; ideò, ut ostendat causam mortificationis nostræ esse uirtutem crucis & mortis Christi in renatis, quemadmodum clarè docet Paulus ad Roman. 4. Porrò quia mortificatio est altera sanctificationis nostræ pars, ascribam definitionem sanctificationis: ut ex collatione partium clarior euadat utriusq;, hoc est, cùm mortificationis tùm uiuificationis ratio: Est itaq; Sanctificatio (ut ex 4. prioris Petri promtum est colligere) Segregatio hominis à prophanitate gentium per mortificationem carnis, & uiuificatio spiritus per uirtutem Spiritus sancti. Mortificatio carnis est cessatio à peccato, qua fit, ut homo non amplius iuxta cupiditates hominum sed iuxta uoluntatem Dei uiuat, Huius causa est mors Christi in conuersis, & finis, ut sistamus membra nostra hostiam sanctam & placentem

Deo.

Deo. Viuificatio spiritus est ueluti creatio & excitatio noui hominis per spiritum Christi. Huius causa est uirtus spiritus Christi excitati à mortuis in renatis. Finis, ut simus noua creatura siue noui homines, iuxta uoluntatem Dei uiuentes.

Si uiuimus spiritu, spiritu & incedamus.

Chrisostomus legit ζῶμεν οὖν, Viuamus igitur in spiritu, & spiritu incedamus, ut sit conclusio ex superioribus collecta. Verùm nos sequamur usitatam lectionem, & hic repeti propositionem exhortatoriam, dicamus unà cum implicatione argumenti à causa efficiente ad effectum. Ponitur autem loco totius argumenti sola propositio, ut plurimum fieri solet in hypotheticis argumentis. Compleamus autem argumentum hoc pacto, Si spiritu uiuimus, spiritu & incedamus. Atqui spiritu uiuimus qui in Christum credimus: Ergo par est ut secundum spiritum incedamus. Si uiuimus, inquit spiritu, scilicet Christi in nobis habitantis per fidem, & hanc fidem nostram gubernantis, Spiritu etiam incedamus, id est, iuxta Regulam spiritus uiuamus. Nam qui uerè credimus, donati sumus spiritu uiuifico Christi, qui nos regenerat, ut peccato mortui, Deo uiuamus.

uamus. Paulus enim testatur Christum inhabitare per fidem in cordibus nostris, qui suo spiritu uerè efficax est, iuxta illud ad Roman. 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. At si Christus in uobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus uero uita propter iusticiam. ~~Hinc proinde~~ sentiemus nos fidem habere, adeoq; Christi esse, si spiritum eius habuerimus. Spiritum autem eius nos habere inde percipiemus, si ut una nostra pars indies magis magisq; mortificetur, ita altera uiuat. Hanc autem uiuere ex iusticia cognoscimus, id est, ex eo quod iusticiæ uiuamus, quæ est spiritus Christi uirtus in nobis. Paulus seipsum exempli loco proponit supra cap. 2. cum ita ait, Viuo autem non amplius ego, sed uiuit in me Christus, & uitam quam nunc uiuo in carne, uiuo per fidem filij Dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. Necessaria est igitur hæc Pauli consecutio, si spiritu uiuimus, spiritu & incedamus, hoc est, si uerè fide præditi sumus, iuxta regulam uerbi Dei uitam instituamus. Hæc enim uis est uocis græcanicæ στοιχῶμεν. nam is propriè στοιχεῖν dicitur, qui ita incedit, ut certum ordinem teneat, & quasi lineam non transiliat. Hoc uerbo Apostolus utitur ad Roman. 4. ubi inquit, στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς πίστεως, id est, incedentibus recto ordine in uestigijs fidei Abrahæ. Monemur igitur hoc dicto:

spiri=

ſpiritu incedamus, ut non alium ductum in uita ſequamur, quàm ſpiritus Chriſti: qui ductus uerbo Dei nobis commendatur. Huc ſerium illud mandatum Dei pertinet, In præceptis meis ambulate, & non in præceptis Patrum ueſtrorum. Cùm igitur Papa aut alius quiſpiam aliam uiuendi regulam nobis præſcribit, ſciamus illum nos à recto ſpiritus ductu abducere, & in foueam errorum præcipitare. Locus hic aduerſus eos obſeruetur, qui fidem & ſpiritum iactant: quorum tamen actiones minimè reſpondent tam magnificæ iactantiæ. Quemadmodum enim opera bona teſtimonia ſunt arcanæ uirtutis Chriſti in cordibus habitantis, ita mala opera uanos fidei iactatores arguunt. Hæc enim duo pugnantia, actio, qua uiolat homo Legem Dei ſciens & uolens, & illa fides quæ eſt fiducia miſericordiæ, non ſimul manent, quia iuſiurandum dicit, Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Et Paulus ait, eos qui uaſtant conſcientiam, naufragium fidei facere. Cum hac Pauli exhortatione congruit & illa, quæ eſt in primo Ioannis tertio, Filioli mei, nemo uos decipiat, qui facit iuſticiam iuſtus eſt. Fruſtra igitur clamamus, nos fidem & iuſticiam in corde geſtare, dum pedes, manus, linguam, oculos, iniquitas occupat.

Ne ſi-

Ne ſimus cupidi inanis gloriæ, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Exemplo contrario propoſitionem amplificat, ac κενοδοξίαν, *quæ dißidiorum & altercationum eſt mater, è medio ſublatam cupit. Nam ubi hæc eſt, penes carnem imperium manet, oppreſſo & fugato ſpiritu. Semper enim* κενοδοξία *aliquid mali molitur, & cùm ex ea inuidia naſcitur, fieri non poteſt, quin infinita mala ſequantur. Porrò cum Apoſtolus inanis gloriæ meminit, ſignificat gloriam aliquam ueram eſſe, ac minimè uanam. Proinde duplex erit gloria. Vna Vera, altera Vana, de utraq; ordinè pauca dicemus.*

Vera gloria & propria filiorum duplex eſt. V N A, *cuius fundamentum eſt promißio gratuita, de qua filij Dei rectè gloriantur, cum eam fide poßideant, & expectent gloriam filiorum Dei. Huius ergo cauſa non eſt noſtra actio, aut paßio, ſed meritum Chriſti, qui nobis factus eſt à Deo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio. Vt quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. De hac gloria Bernardus piè in hunc modum ait: Gloriari in ſolo Deo, non niſi à ſolo Deo eſt. Hæc proinde gloria non facit ſuperbos, ſed humiles: non contemnit proximum,*

ſed

sed diligit: non præfert se alijs, sed subijcit in uero timore Dei & caritate. Hac insultamus Diabolo, hac nos sub cruce erigimus, hac discessuri de hac uita gloriamur aduersus mortem & infernum.

Altera gloria filiorum Dei oritur ex fide, & iudicio bonæ conscientiæ de nostris actionibus & afflictionibus. de hac Paulus 2. Corinth. 1. in hunc modum ait. Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ. Et infrà capite 6. Opus suum unusquisq; probet, & tunc gloriam habebit apud sese, & non apud alios. Hoc est, Vnusquisq; rectè ex fide faciet officia uocationis suæ, & ferat crucem forti animo, quod cum facit, habebit apud se gloriam, id est, aprobationem non fallentis, sed rectè iudicantis conscientiæ. Est ergo huius gloriæ fundamentum conscientia rectè factorum, & uera sub cruce conscientia. Verùm ne hæc gloria suos limites trãsgrediatur, atq; ita commaculetur, triplex cautio adhibenda est. Quarum Prima, est constans, et uera agnitio fontis omnis boni, uidelicet, quod Deus solus sit fons & origo omnis boni. Secunda, est uera confessio, non oris tantùm, sed etiam intimi cordis, quod ex eo fonte gratis habeamus sine nostris meritis quicquid habemus boni. Tertia, est minimè simulata gratitudo, qua ad Dei gloriam omnia quæ

facimus,

facimus, & patimur, referimus. His seruatis cautionibus in omnibus Dei beneficijs piè gloriari licet. Nam huiusmodi gloria ipsum autorem Deum glorificat, ac ad ipsum refert omnia. Huius gloriæ uix tenuis quædam umbra est, quam Cicero tribuit hominibus uirtute & rebus gestis claris. Quam quidem ille definit celebrem & peruagatam alicuius famam, quæ ut summa & perfecta sit, ex hisce tribus eam constare dicit, si diligit multitudo, si fidem habet, si cùm admiratione quadam honore dignos putet.

Vana gloria triplex constituatur. Diabolica, Hypocritica, Thrasonica. 2

Diabolica κενοδοξία est, qua membra Diaboli gloriantur cùm malefecerint. De hac Dauid Psalmo 52. in hunc modum canit: Quid gloriaris in malicia tua tu potens? cum misericordia Dei duret omni die, prauitatem cogitauit lingua tua sicut nouacula acuta fecisti dolum, dilexisti malitiam super bonitatem, falsitatem magis quam loqui iusticiam, dilexisti omnia uerba perditionis lingua dolosa. Sed huius finem specta, de quo idem Propheta hæc subiungit, Propterea Deus destruet te in æternum, conteret te & euellet te. Vt autem hoc hominum genus pius uitet, monet 1

Q Salomon

Salomon Prouerbiorum 2. Consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, ut eruaris ab homine qui peruersa loquitur, qui relinquunt iter rectum, & ambulant per uias tenebrosas, qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peßimis.

2 Hypocritica κενοδοξία, est captatio applausus uulgi ob pietatis & sanctimonij opinionem. Hanc damnat Christus, cum ait, Cum facis eleemosynam, ne buccinandum cures coram te, ut faciunt Hypocritæ. Hanc obijcit Christus Scribis & Pharisæis Matth. 23. Omnia, inquit, opera sua faciunt ad hoc, ut spectentur ab hominibus.

3 Thrasonica κενοδοξία est, cum homines, qui in sinu fortunæ fouentur, extolluntur, & magnifieri uolunt, cùm tamen nullis ueris uirtutibus emineant. Apud hos tria hominum genera in magno sunt precio, uidelicet adulatores seu assentatores, quorum consuetudo Thrasonibus iucundissima est. Calumniatores seu delatores qui alijs uirtutibus decus detrahunt, ut sui Thrasones uideantur eminere, & κακοηθεῖς qui aliorum dicta & facta malignè deprauant, & omnia ad suorum thrasonum affectus moderantur.

SVM-

SVMMA CAPITIS SEXTI.

ERrantes leniter in uiam reuocentur à spiritualibus: Doctoribus Euangelij gratitudo exhibeatur: Et ut omnibus debita reddantur officia, ita caueantur circumcisionis architecti, ut qui gloriam uenentur inanem: cum contra piorum sit tantùm in cruce Christi gloriari.

ORDO ET PARTES SEXTI CAPITIS.

DVÆ partes sunt huius Capitis, Prior parenetica est, coherens cum fine quinti capitis. Posterior totius Epistolæ est Conclusio. Prior rursus tripartita est, constat enim tribus suasorijs propositionibus cum suis rationibus. Posterior, ut dixi, concludit Epistolam. Primùm monens Galatas, ut à Pseudoapostolis circumcisionis architectis sibi caueant. Illi enim occasionem Paulo dederunt, ut hanc scriberat Epistolam. Deinde se exemplum abijciendæ inanis gloriæ statuit. Postremò imprecatione & ualedictione, suo more, claudit Epistolam.

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Fratres etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate huiuſmodi in ſpiritu lenitatis.

Poſtquam in ſuperiori Capite pareneſes inſtituit, quibus obtemperandum ſpiritui nos hortatur, nunc exempli cauſa quaſdam hypotheſes exhortatorias ſubijcit. Ac primum ut imprudenter lapſos in aliquod delictum rurſus erigamus, ac ueluti luxatum ex lapſu membrum in ſuum locum reponamus. Hæc enim uis græcæ uocis eſt, qua utitur Apoſtolus. Lapſui unde membrorum fit luxatio, opponitur καταρτισμὸς, *hoc eſt, Luxati membri in locum ſuum reſtitutio. Præoccupationis uox tarnslationem culpæ uidetur ſignificare. Nam culpam Apoſtolus transfert in carnem, & in ſatanam: qui uarijs technis homines in peccatum præcipitat, non ſecus atq; luctator, qui ſuppoſito pede antagoniſtam euertit, atq; ideò labentes Chryſoſtomus* ὑποσκελισμοὺς *uocat.*

Porrò

Porrò causa, & modus erectionis lapsorum hic obseruetur. Cùm enim ait fratres, item si quis homo, item uos qui spirituales estis, causam triplicem aßignat. Nam & fratrum est pia sollicitudine sine acerbitate se mutuo, si quid delinquitur, in uiam reuocare, Et hominis appellatio communis infirmitatis naturæ nos admonet, (quare rectè Terentianus ille senex ait: Homo sum humani à me nihil alienum puto) Et spiritus, quo donati sunt credentes sanctam moderationem requirit in corrigendis alienis peccatis. Nihil enim ita probat spiritualem uirum, ut ait Augustinus, quàm peccati alieni tractatio, cum liberationem eius potius, quàm insultationem, potiusq; auxilia, quàm conuitia meditatur: & quantum facultas tribuitur, suscipit. Modum exprimit cum ait: In spiritu lenitatis, seu mansuetudinis, hoc est, non proteruè sed benignè, non cum irrisione, sed cum commiseratione, non seuerè, sed mansuetè. Breuiter, corripientis sermo ita moderandus est, sicuti salus eius qui corripitur postulare uidetur.

Hic quatuor loci se offerunt. Primus, quòd lapsis post conuersionem non sit neganda uenia, non sit intercludendus reditus ad pœnitentiam. Nam, si Deus uult, ut nos erigamus lapsos, & er-

rantes in uiam reuocemus, satis testatur, quòd eos extremè non abiecerit: sed cupiat potius, ut rursus per pœnitentiam redeant, ac uiuant. Secun-
2 dus, qualisnam debeat esse Christiana admonitio, & fratrum correctio: Debet enim, ut hic Paulus docet, ex leni spiritu proficisci, & tendere ad proximi instaurationem, & ædificationem. Verùm discernendum est inter præfractos, & imbecilles. Illi, ut professi hostes Euangelij contemnendi sunt: Hi autem minimè: sed potius omnibus modis subleuandi, iuxta hoc Pauli præceptum.
3 Tertius, quòd quò quisq; abundantiora, seu ampliora dona spiritus habeat, eò plus se ædificationi proximorum debere sciat. Spirituales enim uocat Paulus hoc loco comparatè, eos uidelicet, qui magis in schola Christi profecerunt: non quòd nihil de carne habeant reliquum, sed qui aliorum respectu maiori sunt spiritus gratia donati. Quar-
4 tus, Metaphora lapsus & instaurationis admonet, quanta cum sollicitudine cauenda sint delicta, nam, ut quo sæpius corpus labitur, eò redditur imbecillius, magisq; membra laxantur, donec tandem corpus prorsus concidat: Ita animæ lapsus frequentiores, tandem ruinam perpetuam animæ adferunt.

Considerans teipsum, ne & tu tẽteris.

Ratio propositionis aptißima, sumta à communis infirmitatis periculo, ac si diceret: Cum humanū sit errare, & labi, talem te lapso exhibeto, qualem tibi illum cuperes lapsus. Nihil enim, ut ait Augustinus, ad misericordiam sic inclinat, quàm periculi cogitatio. Et Bernhardus: Qui semetipsum aspicit, non quærit, quid in alijs frequenter reprehendat: sed in semetipso quid lugeat. Hic Bernhardus in quodam loco narrat, quendam senem audiuisse aliquem ex fratribus grauiter deliquisse, quod cum audieret uehementißimè flere cœpit, Interroganti autem causam tanti fletus. Respondet senex. Ille hodie, ego cras. Huc pertinet uersiculus:

Aut sumus aut fuimus aut possumus esse quod
hic est.

Tentationis uox subindicat causam lapsuum, de qua Iacobus in hunc modum: Vnusquisq; tentatur dum à sua concupiscentia abstrahitur, & inescatur. Hic Iacobus tentationis ad malè agendum causam, & fontem indicat propriam cuiusque concupiscentiam. Hæc enim primùm hominem à bono abstrahit deinde inescat hominis affectus & incautum tandem obruit. Hic duo loci obseruentur. Primus, est admonitio infirmitatis communis, quæ eò pertinet, ut diligentius ab hostibus salutis nostræ nobis caueamus: ne sinamus

mus nos insidijs Diaboli, improbitate mundi, & propriæ carnis pessimis consilijs uinci, hoc est, carnalibus desiderijs, quibus tum demum homo permittitur, quando uerbum Dei segnius audit. Huc illud Domini dictum in Psalm. 81. Et non audiuit populus meus uocem meam, & Israel non uoluit me, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in aduentionibus suis. De hac horrenda pœna neglectus uerbi, Vide Paulum 2. Thessal. 2. Secundus, quod aliorum lapsus nos admonere debeant nostri periculi, ne nobis fidamus atq; ita cum alijs in peccata ruamus.

Alij aliorum onera portate, & sic adimplete Legem Christi.

Ex ratione proxima infert repetitionem propositionis. Verum, quia ratio communis periculi meminit, repetitio propositionis amplior est, & plus continet quàm ipsa propositio. Anteà enim, ut, qui spirituales sunt, erigant lapsos hortabatur: nunc ut communium infirmitatum rationem habeant, monet: & ad mutuam condonationem & lenitatem in corrigendo, argumento sumto à communi infirmitate. Est enim infirmitatis propriæ memor, erga alios moderatior.

quare

quare cum ſinguli noſtra uitia habeamus, requirit communis conditio, ut alijs ſimus æquiores. Rectè enim dicit Chryſoſtomus, οὐκ ἔςιν ἄνθρωπον ὄντα χωρὶς ἐλαττώματος εἶναι, hoc eſt, fieri non poteſt, ut aliquis ſit homo, & careat uitio. Aptiſſima Metaphora infirmitatis, uitia quibus laborant homines onera appellat. Vt enim ſubleuandi ſunt, qui oneri ſuccumbunt: ita amicis & placidis correctionibus in uiam reuocandi, qui errore aliquo, aut uitio, tanquam onere impoſito premuntur. Quod autem ſubiungit: Et ſic adimplete Legem Chriſti, uim argumenti habet, cùm à cauſa, quæ eſt mandatum Chriſti, tùm ab ipſo Chriſti facto ſeu exemplo, Ita enim ipſe Chriſtus Ioan: 15. ait: Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis alij alios, ſicut dilexi uos. Locus obſeruandus eſt, quòd fruſtra tumeant homines inani Chriſtiani nominis titulo, niſi magiſtri Chriſti legem & exemplum ſequantur.

Cæterùm hic tres Quæſtiones excutiendæ ſunt. Quarum Prima eſt de hac Chriſti lege, cur uidelicet mandatum dilectionis æternum, dicatur lex Chriſti. Secunda, quæ oritur ex prima, An Euangelium ſit noua quædam Lex? Tertia, de huius legis impletione. de qua Paulus hic apertè loquitur, Et ſic implete legem Chriſti.

Quæſtiones tres.

DE PRIMA.

Cur mandatum dilectionis, dicatur Lex Christi, & nouum mandatum, uidelicet Christi manifestati in carne ex 2. cap. 1. Epistolæ Ioannis, ex 15. Ioan: Et ex Ierem. 33. colligetur. 1. Ioan. 2. Sic scriptum est: Carißimi non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatum uetus, quod habuistis ab initio. Et mox iterum, Mandatum nouum scribo uobis, quod uerum est in ipso, & in uobis, quia tenebræ transierunt, & uerum lumen iam lucet. Ioan: decimo quinto, Mandatum, dicit Dominus, nouum do uobis, ut alij alios diligatis, sicut dilexi uos. Ierem. 33. Legem meam ipsorum cordi inscribam. Ex horum dictorum collatione patet Primum, quòd lex dilectionis non sit noua per se, nec lata à Christo in carne manifestato, cum iam inde à legis initio fuit, ut testatur primum testimonium, quod adduximus à Ioanne. Si ergo naturam Legis inspicimus, non peculiariter dicitur Christi lex, aut noua lex, sed Dei, naturæ humanæ in creatione impressa, & postea per Mosen lata: uidelicet, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Cur ergo hæc lex Christi dicitur? cur nouum mandatum appellatur? Christi dicitur propter formam mutatam, & di-

& dilectionis exemplum. Ita enim dicit Dominus: Diligite uos, sicut ego dilexi uos. Hic proinde non ipsam præcepti materiam, sed formam uidemus mutatam, siquidem longè certior Caritatis Regula nobis proponitur quam antea. Deinde noua hæc eadem lex dicitur propter nouam scriptionis eius rationem: uidelicet, quòd non in Tabulis lapideis, ut antea sub Legis tenebris, sed in corde sit inscripta, (sicuti testimonium, quod ex Ieremia adduximus, docet.) In corde, inquam, in quo tenebræ transierunt, & uerum lumen iam lucet: uidelicet Sol iusticiæ CHRISTVS IESVS. Duplici igitur respectu mandatum dilectionis nouum dicitur, & Christi lex: uidelicet propter formam, & propter efficiendi uirtutem, seu inscriptionem huius legis in cordibus quæ est à Christo. Nemo enim dilectionis legem implere potest, nisi Christus eam in corde ipsius scripserit: quod tum demum fit, cum homo in regeneratione fit noua creatura, & donatur spiritu Christi.

DE SECVNDA.

Secunda quæstio oritur ex prima, nam cum mandatum dilectionis dicitur lex Christi manifestati in carne, & mandatum nouum, merito quæritur,

ritur, numquid Euangelium ſit noua quædam lex? quemadmodum Monachi ſomniant. Reſpondeo. Euangelium nequaquam eſt noua aliqua operum lex, ſed eſt prædicatio conuerſionis & remiſsionis peccatorum in nomine Chriſti, & prædicat liberationem à lege per Chriſtum, ita ut qui in Chriſtum crediderit, ſit à legis damnatoria ſententia abſolutus, & liber, ſit iuſtus, non propria, ſed aliena iuſticia, nempe Chriſti. Verùm poſtquam aliquis Euangelij beneficio factus eſt noua in Chriſto creatura, debet nouo mandato obedire, & Deo præſtare obedientiam, iuxta normam Legis: quæ obedientia, ut fructus ſpiritus eſt, ita euidens eſt regenerationis inditium, & nullo pacto cauſa ſalutis, ſeu, ut Bernardus loqituur, non eſt cauſa regnandi, ſed uia regni: & tametſi hæc obedientia imperfecta eſt, placet tamen DEO, quia perſona eſt reconciliata.

DE TERTIA.

Cum Paulus hic dicit: Et ſic implete Legem Chriſti, & ex concione Domini Iohan: 15. & ex 1. Iohan. 2. conſtat legem Chriſti eſſe ſummam legis de dilectione Dei & proximi, merito hic quæritur, num pij poßint hanc Chriſti legem implere.

plere. Reſpondeo: Impletionis ſeu perfectionis uox duobus modis accipitur in ſcriptura. Aliâs enim opponitur imperfectioni operis, aliâs ſimulationi. Cùm autem opponitur impletio Legis imperfectioni operis, nemo ſanè Legem Dei in hac uita implere poteſt, niſi unus IESVS CHRISTVS, qui eam ob cauſam Legis conſumatio in iuſticiam omni credenti ab Apoſtolo prædicatur. Hanc ſententiam totius ſcripturæ conſenſus confirmat, & Paulus iuſta & prolixa diſputatione (ut alia teſtimonia taceam) eam concludit ad Roman. 1. 2. 3. & ad Galatas 2. In his enim locis quadruplici demonſtratione concludit Apoſtolus, neminem in hac mortali uita legem Dei implere poſſe. Primum enim prouocat ad experientiam omnium hominum. Deinde corruptionem naturæ in medium adducit. Tum clara teſtimonia ſcripturæ congerit. Poſtremò finem mortis CHRISTI, qui eſt expiatio peccati, urget. Ex quibus ſingulis & omnibus ſimul conficitur, Lege iuſtificari, propterea quòd nemo Legem perfectè præſtet. At cum perfectio Legis opponitur ſimulationi, id eſt, mendacio & hypocriſi, omnes filij Dei dicuntur legem Chriſti implere, quia ſincerè ſtudent uitam ſuam Deo approbare, & ſine ſimulatione proximum amore perſequuntur. Etſi autem nihil difficilius, quàm

ſincerè proximos diligere, obſtat enim amor no-ſtri qui plenus eſt ſimulatione, & ſuum quiſque amorem quo alios proſequitur, proprio commodo metitur potius, quàm pio communicandi ſtudio: Tamen uerè pij ſpiritu regenerationis carnis uitia corrigunt, & præceptum dilectionis ſincerè præſtare conantur: Qui conatus cum ſit ſine ſimulatione, dicuntur legem Chriſti implere, id eſt, ſine ſimulatione & hypocriſi proximos diligere, qui uiua Chriſti fiducia ſunt prædıti. Caritas igitur ἀνυπόκριτος, id eſt, non ſimulata, ſi conferatur cum ſimulata hypocritarum dilectione impletio legis dicitur, & hoc loco & Iacobi 2. Nam Iacobus perfectionem Legis apertè opponit hypocritarum iactantiæ de religione ſine uero timore Dei & fide. Similiter Iohan: primæ. Secundo, qui dicit (ait) Noui eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt, & in eo ueritas non eſt: Qui autem ſeruat ſermonem eius, uerè in eo perfecta caritas Dei eſt. Hic manifeſtiſsimè ſimulatæ & mendaci caritati opponitur caritas perfecta, quã Iohannes tribuit pijs & uerè credentibus. Quæ caritas à Petro prioris 1. ἀνυπόκριτος uocatur, & à Paulo 1. ad Timoth. 1. dicitur finis præcepti, ita enim ait: Finis præceptionis eſt caritas ex puro corde, conſcientia bona, & fide non ſimulata. Hic Apoſtolus fidem ἀνυπόκριτον bonæ conſcientiæ ma-

tiæ ma-

tiæ matrem facit, ex qua conſcientiæ puritas & ſinceritas cordis fluit: Vnde manat illa caritas, quam Iohannes perfectam, hoc eſt, ut interpretatur, ἀνυπόκριτον, id eſt, non ſimulatam appellat.

Nam ſi quis putat, ſe eſſe aliquid, cum nihil ſit, ſeipſum decipit.

Tollit cauſam contemtus aliorum, nimirum faſtuoſam de ſe perſuaſionem. Hac enim ſublata homo æquior eſt alijs. Nihil hoc loco, non negatiuè, ſed priuatiuè capitur. Eſt enim ſenſus: Qui putat ſe eſſe aliquid, hoc eſt, qui tribuit ſibi arroganter quod ſit alijs præferendus, nihil eſt, id eſt, Nullam ueram gloriationis in ſe materiam habet, ſed ſuum potius fallit animum, cum ſibi tribuat quod non habet. Vtitur autem hic Apoſtolus admodum ſignificanti uocabulo φρεναπατᾷν, quod eſt mentem à recta uia abducere. Vnde fit ut homo faſtuoſus prorſus iudicio careat, quo ſe & ſua facta rectè examinare & iudicare deberet. Sunt autem hic tres loci obſeruandi. Primus, quo quiſq; eſt apud ſe faſtuoſior eò magis alios tanquam ex alto deſpicit. Secundus, quòd homo nihil habeat proprij, ob quod merito gloriari poſſit, qui

ſit, qui extollitur, inquit Ambroſius, quaſi aliquid ſit, errat. Neſcit enim quia de humilitate neſcitur. Tertius, quòd arrogantes & faſtuoſi homines ſui ipſorum ſint deceptores.

Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & tunc in ſeipſo ſolo gloriam habebit, & non in alio.

Tollit aliam cauſam contemtus proximorum, nimirum collationem noſtri cum alijs. Sunt enim qui ſe agnoſcunt quidem infirmos & peccatores, ſed tamen quando ſe cum alijs conferunt, nonnullam gloriandi materiam inde ſumunt, dum videlicet alios vident ſe infirmiores aut peccatis maioribus obnoxios. Ab hac collatione reuocat pios Apoſtolos, & iubet ut quiſq; ſuam conſcientiam excutiat, & quale ſit proprium opus penitius conſideret. Porrò gloria piorum duplex eſt. Vna qua coram Deo gloriantur. Altera qua coram hominibus. De PRIORI Pſalm. 115. loquitur hoc modo. Gloriamini de nomine ſancto eius. Et Ieremias cap. 9. Hæc dicit Dominus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis, Sed in hoc glorietur,

qui

qui gloriatur, ſcire et noſſe me, quia ego ſum DOMINVS, qui facio miſericordiam & iudicium, & iuſticiam in terra. Et Paulus 1. Corinth. 1. Chriſtus factus eſt nobis à Deo, Sapientia, Iuſticia, Sanctificatio, & Redemtio. ut, quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. De ALTERA piorum gloria Paulus hoc loco ait, quam petendam eſſe ex probatione & examine facti cuiusq; monet, quam petendam eſſe in teſtimonio conſcientiæ 2. Corinth. 1. docet, cum ita ait: Hæc eſt gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Vtriusq; gloriæ ſingularis eſt uſus, ut enim iudicio Dei nihil opponi nec poteſt, nec debet, niſi fiducia miſericordiæ propter Chriſtum, in quo ſolo uere credentes rectiſſimè gloriantur: Sic iniquis hominum iudicijs hæc gloria, quæ eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, opponitur. Plura de hac re nuper diximus, & oſtendimus, quibus iactis fundamentis liceat in donis Dei gloriari. folio 120

Quilibet enim proprium onus portabit.

Ratio ſuperioris ſententiæ aptiſſima, ſumta ab æqualitate iudicij Dei, qui iudicat ſine perſonarum acceptione. Eſt autem huius rationis hic

ſenſus, & applicatio: Deus unumquemq; iudicabit iuxta rationem uitæ propriæ, abſq; collatione ulla cum alijs: Ergo non eſt quod quiſquam ſibi blandiatur propter aliorum infirmitatem, aut lapſus. Sit igitur unuſquiſq; potius de ſeipſo approbando, quàm de alijs condemnandis ſollicitus. Oneris Metaphora peccatorum naturam exprimit. Vt enim onus impoſitum, quò maius fuerit, eò magis deprimit geſtantem, & non alium: ita peccata quemq; ſua grauant, ac deprimunt maledictionis ſententia. Hoc grauiſsimum onus ſolus Chriſtus leuat, & ſoluit, quando in ipſum firma fiducia recumbimus. Cæterùm hic quæſtio oritur. Num Dauidis homicidium, & Petri abnegatio æque proferentur in lucem, in die iudicij, atq; Neronis impuritas, & Iudæ proditio. Reſpondeo: Peccatum expiatum, remiſſum, & ſolutum in obliuione æterna erit coram Deo, & non proferetur in lucem in die iudicij. Quare nec Dauidis homicidium, nec Petri abnegatio reuocabitur ad rationem. Huc illud Domini dictum apud Prophetam pertinet. Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor: Sed peccatum quod per pœnitentiam non eſt remiſſum, manifeſtabitur omnibus creaturis in die iudicij: in quo pro omni ocioſo uerbo non conuerſi ad Deum rationem reddent. Quare Neronis

impu-

impuritas et Iudæ proditio uenient in conspectum omnium Angelorum, & hominum, & rei damnabuntur æternis pœnis. Quibus proinde peccata remissa sunt, iuxta sententiam Euangelij, sancti & mundi habebuntur in conspectu Dei, Angelorum, & hominum: At quibus non sunt remissa, iuxta sententiam legis damnationi æternæ subiacebunt. Quod autem Petrus ait, Iudicium à domo Dei incipit: intelligendum est de iudicio castigationis in hac uita, & non de iudicio uindictæ in extremo die. Vt enim illud est correctio & castigatio paterna, ita hoc punitio iudiciaria est cum Dei indignatione coniuncta. Etsi autem utrunq; exercetur in hac uita, tamen in extremo die uindictæ iudicium duntaxat locum habebit.

Communicet autem qui catechizatur sermone ei, qui se catechizat in omnibus bonis.

Secunda præsentis Capitis propositio, eaq; exhortatoria: Hortatur enim Apostolus Galatas ad gratitudinem exhibendā uerbi ministris, quibus duplicem honorem debent auditores, quemadmodum Paulus 1. ad Timoth. 5. docet, his uerbis: Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè ij, qui laborant in sermone & doctrina. Dicit enim scriptura, Boui trituranti 2

non obligabis os. Et, Dignus est operarius mercede sua. Indignissimus igitur Christiano nomine censendus est, qui ministros Euangelij totius Ecclesiæ curam gerentes negligit. Bestia quauis immanior est, qui eos odio prosequitur, proscindit, quorum ministerio ad salutem immortalitatem innitatur. Sed proh dolor, bona pars mundi huc incumbit, ut potius aliquid adimat ministerio, quàm addat, tanta est peruersitas, & ingratitudo hominum, etiam illorum, qui sacrilegè audent gloriari de Christiano nomine. Cæterùm quia Paulus in hac propositione admodum significantibus uocibus utitur, altius placet eas expendere, ut conspiciatur apertius, quàm sit necessarium officium, benè meritis ministris Euangelij uicem rependere. Primò igitur loco utitur uoce κοινωνείτω cõmunicet, qua uoce ostenditur, ut ait Chrysostomus, ἀντίδοσις, id est, refundendi uicißitudo, seu compensatio. Proinde iusticia ipsa efflagitat, ut erga ministros uerbi nostram declaremus gratitudinem compensando, quantum id fieri potest, illorum labores nostra liberalitate, ut sit iusta laboris & mercedis proportio. Proinde qui nihil conferunt ad conseruandum ministerium iniusti sunt, adeoq; fide carent. Quod si ita est, ut est reuera, quid dicemus de illis, qui ministros Euangelij necessariò uictu spoliant? quid de illis qui

immo-

immoderatis exactionibus tantùm non eos interficiunt, ut multi honesti mariti cum suis uxoribus & liberis cogantur quodammodo mendicare. Horum sanè factum nihil differre arbitror à sacrilegio, & latrocinio, cuius pœnas olim luent architecti & fabri huius mali. Deinde Apostolus 2
utitur uerbo Catichumenos, id est, qui Catechisat. Est enim χατηχεῖν propriè uoce & sono doctrinam aliquam tradere. Manifestè igitur Apostolus discernit inter laborantes in uerbo, & ociosos uentres, qui fumos auro & amplißimis poßeßionibus commutant. Illis uult iustam mercedem pro labore tribui, idq; ex mandato Christi: Hos Thessalonicensibus scribens, iubet laborare, modo mendicare non uelint. Nihil ipsis Ecclesiæ debent, neq; Caritatis est robustos homines de Ecclesia & Repub: non benè meritos propter boatus in templis impuinguare, multò minus eos qui canes & scorta bonis Ecclesiæ alunt. Præterea 3
Apostolus modum communicationis subiungit cum inquit, ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, in omnibus bonis, hoc est, qui instituitur in uerbo, id est, in doctrina Euangelij (accipitur enim hic λόγος κατ᾽ ἐξοχὴν) communicet ei omnia bona, id est, quæuis bona pro facultatum, & neceßitatis ratione. Neq; enim Paulus uult dari omnia, sed omnibus modis gratos esse discipulos erga suos magistros.

Ne erretis, Deus non irridetur.

Quasi diceret, non est quod quisquam quærat subterfugia, quibus se excuset, cur minus sit liberalis erga ministros Euangelij. *Oculos quidem hominum fallere potest, sed* Deus *non fallitur. in cuius contemtum alia atq; alia prætexunt ingrati. Hic tres loci obseruentur.* Primus, *quòd uictus & alia officia debeantur œconomis mysteriorum* Dei *seu Catechetis. Secundus, quòd perniciosus error sit & non prudentia, defraudare ministros pro sua debita mercede. Tertius, quòd Spiritus sanctus in* Paulo *interpretetur derisionem maiestatis diuinæ esse, negare uictum & alia officia uerbi doctoribus.*

Quod enim seminauerit homo, hoc & metet.

Ratio *propositionis allegorica, seu parabolica: quæ integra similitudine explicabitur hoc pacto: Quemadmodum qui seminat (exempli gratia) zizania, zizania & metet,* Et *qui seminat triticum, triticum etiam metet:* Ita *qui malè operatur, pœnam reportabit, & qui benefacit, beneficentiæ suæ fructum aliquando percipiet. Significat ergo* Apostolus, *non frustra conferri beneficia*

in ministros Euangelij. Nam ea ipsa redibunt aliquando maiori cum fructu. Quemadmodum enim agricola seminat cum spe maioris prouentus, ita qui liberalis est in præcones Euangelij, suum aliquando referet fructum.

Nam qui seminat in carnem suam, de carne metet corruptionem: Qui autem seminat in spiritum, de spiritu metet uitam æternam.

Distributio est generis in species suo proposito congruentes, & contrariorum seminum contrarios fructus statuit, hoc est, contrarijs causis tribuit contrarios effectus. Qui seminat, inquit, in carnem suam, id est, qui seminat carni suæ (nam præpositio εἰς hic finem declarat) hoc est, qui opera carnis facit, ut ei obsequium præstet, corruptionem, id est, mortem æternam lucrabitur. Qui uero in spiritum, id est, spiritui seminat, ut ei moram gerat, hoc est, qui spiritus opera facit, percipiat fructum spiritus, nempe uitam æternam. Locus hic obseruandus est de pœnis & præmijs operum carnis & fructuum spiritus. Hoc loco abutuntur Papistæ. Primum ad asserendam operum iusticiam, sed falluntur, non enim statim sequitur nos iustificari operibus, quia

uita æterna merces operum appellatur. Nam gratuitum est, quòd Deus opera eorum, qui in se credunt, tanto dignetur honore, quod pro ipsis etiam mercedem promittat, Etiamsi enim millies pro operibus promittatur merces: Nulla tamen ex pacto debetur, nisi à tota Lege impleta. Quare quid mercedem appellat scriptura, obseruandum, uidelicet, quòd Deus mera sua bonitate promittit sibi obtemperantibus, non quod æqualis sit proportio meriti & mercedis, sed quod Dominus filijs suis ex gratia donet in officiorum suo nomine præstitorum compensationem. Præterea errorem Papisticum tota superior disputatio de iustificatione instituta euertit. Quare magna impudentia Papistarum est, qui ita scripturas lacerant, non curantes contextum & scopum orationis. Deinde Papistæ dicto Pauli ad Roman. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Quod sanè dictum cum hac sententia Apostoli congruit: Abutuntur ad stabiliendam Dæmoniorum doctrinam de impuro sacerdotum cœlibatu. Nam distinctione 82. inter alia argumenta hoc tanquam apertißimum in medium producit impius Syritius Papa. Quod apertius inquit declaraui Apostolus dicẽs, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, quasi uero Apostolus uel illic uel hic ageret de operibus naturæ, & non potius de operibus carnis, id est, uitiosæ

tiosæ

tiosæ naturæ, perturbantibus & destruentibus ordinem diuinum in natura: qualia sunt illa opera, quæ supra recitauit Apostolus Cap. 5. Verum quia hæc prohibitio coniugij à Paulo dæmoniorum doctrina pronunciatur, Pauli autoritatem toti Pontificio regno opponamus.

Bonum autem faciendo ne defatigemur.

Tertia propositio est, hic enim hypothesis ad Thesin reuocatur. Quemadmodum post enumerationem partium fieri artifices præcipiunt. Est autem sensus perspicuus, Hortatur enim ad omnia benignitatis officia præstanda proximis. Vocabulum ἐκκακεῖν significat deteriorem seu minus alacrem fieri, & ueluti segnescere in operando.

Nam si non defecerimus, metemus oportuno tempore.

Ratio propositionis ab utili sumta. Mentio enim meßis significat, fore, ut officiorum nostrorum fructus aliquando ad nos copiosius cum fœ-

nore redeant. Tempus proprium ſeu oportunum tempus meßis nominat. Eſt autem meßis uitæ æternæ poſſeßio, cum inimica nouißima deſtrueretur mors, & corruptibile hoc induet incorruptibilitatem, atq; hoc eſt quod Pſalm. 156. ait. Qui ſeminat in lacrymis, in exultatione metet. Euntes eunt & flentes portant precioſum ſemen, uenientes autem uenient, cum exultatione portantes manipulos ſuos. Referamus igitur mentem noſtram & oculos noſtros, non modo ad tempus ſationis, ſed multò magis ad lætißimum tempus, quo manipuli cum exultatione colligentur.

Dum igitur tempus habemus, benefici ſimus erga omnes, maximè autem erga domeſticos fidei.

Concluſio eſt præſentis exhortationis: In qua duo obſeruanda ſunt, uidelicet temporis mentio, & gradus ſeu ordo benefaciendi. Temporis mentio ſignificat poſt mortem ceſſatura talia officia, & opera caritatis: qua ſententia confutatur Papiſtarum error de meritis mortuorum. Ordo eſt, ut maiorem habeamus rationem domeſticorum fidei, hoc eſt, eorum qui eandem nobiſcum fidem profitentur, quàm aliorum, qui alieni

ſunt

sunt à fide nostra. Locus obseruandus, quòd non solum beneficos oporteat Christianos esse erga charos, propinquos, & amicos: Verumetiam erga omnes, adeo ut benefaciamus hostibus nostræ fidei, si modo id illæsa pietate fieri poßit. Etsi autem omnibus benefaciendum esse monet Apostolus, tamen præcipuam curam uult esse domesticorum fidei, hoc est, eorum qui sunt de eadem familia Dei, & nobiscum eandem profitentur fidem. Cum domesticos fidei nominat, Argumentum uidetur petere à familijs humanis, quasi dicat, Si par est, ut homines qui sunt de eadem familia, sibi mutua officia præstent, multò magis decet, ut qui sunt de eadem familia Dei, ideoq; Dei domestici dicti, se mutuò foueant communicatis officijs ultro citroq;.

Videte quantis literis scripserim uobis mea manu.

Conclusio totius Epistolæ quam orditur à commendatione suæ sollicitudinis pro Galatis. Nam, cum in Epistolis ferè omnibus scribendis usus sit Apostolus notarijs, & ipsis Galatis tantam Epistolam scripserit sua manu, idq; cum in maximis periculis Romæ uersaretur, profectò magnum inditium est singularis sollicitudinis Apostoli pro Gallatis. Hinc duo colligamus.

Primùm

Primùm fidelium ministrorum uerbi officium esse, nullum laborem detrectare, quo uel lapsos erigant, uel alioqui suos auditores in officio contineant. Deinde precium huius sanctißimæ Epistolæ inde æstimari poterit, quod eam Apostolus proprijs suis manibus, dictante Spiritu sancto, scripserit. Vnde monemur, qua cum reuerentia adeo diuinum Thesaurum amplecti, atq; exosculari debeamus.

Quicunque uolunt placere iuxta faciem in carne, Hi cogunt uos circumcidi, tantum ut non ob crucem Christi persecutionem patiantur.

Admonitio grauißima est, qua Galatas monet, ut caueant sibi à corruptoribus sanæ doctrinæ, & exploratoribus Christianæ libertatis: quales fuerunt isti circumcisionis fabri, qui corruperant doctrinam Euangelij, quam Paulus sincerè tradiderat Galatis, inuectis in Ecclesias Galatarum ritibus Mosaicis, tanquam ad salutem necessarijs. Quam Pharisaicam opinionem nequaquam stare posse cum Christiana libertate copiosè in hac Epistola docuit Apostolus. Porrò obseruentur hic duæ Pseudoapostolorum notæ. Qua-

rum Prior est εὐπροσωπῆσαι, hoc est, ut interpretatur Chrysostomus, εὐδοκιμεῖν παρὰ ἀνθρώποις, hoc est, plausibiles esse, quandam lætam iucundam ac festiuam uiuendi rationem sectantes, ambitiosæq; aucupantes hominum gratiam. Vt enim πρόσωπον opponitur ueritati: Ita carnis nomine Ceremoniæ Mosaicæ significantur: quibus tanquam fuco quodam conabantur Pseudoapostoli Galatas inficere, ne ueritas Euãgelij apud ipsos permaneret. Posterior nota Pseudoapostolorum est strenue cauere, ne quid crucis aut contumeliæ ferant nomine Euangelij: quod hic Metonimicos crucem Christi appellat Apostolus. Eò enim tempore maximam persecutionem patiebantur, qui sincerè docuerunt Euangelium, & uindicarunt Christianam libertatem contra patronos rituum Mosaicorum. Hæc Paulina admonitio inprimis nobis utilis est, ne propter autoritatem hominum & externam relligionis laruam deficiamus à puritate doctrinæ, ne'ue fucoso relligionis prætextu recipiamus Ceremonias: Vnde paulatim doctrinæ puritas infici poßit. Est & hic generalis doctrina obseruanda de cruce, quæ semper coniuncta est cum doctrinæ puritate. Aliud enim fieri non potest, quàm ut Satan se Christo opponat, & eius ministris. Deinde Christus uult suos sibi in cruce conformes fieri. Vnde illud Pauli: Si

unà patimur, unà etiam regnabimus. Sunt & in Sanctis multi pullulantes affectus uitiosi, qui cruce reprimendi sunt. Deniq; Deus nullum filium recepit, quem non castigat.

Neq; enim qui circumciduntur ipsi legem seruant, sed uolunt uos circumcidi, ut in carne uestra glorientur.

Translatio causæ est. Mentiebantur Pseudoapostoli se amore Legis Circumcisionem docere, quam legem se seruare gloriabantur. Verum Paulus hanc laruam illis detrahit, Nam illud non legis amore fieri, sed mera iactantia & gloriatione carnali ostendit. Volũt, inquit, uos circumcidi, ut in carne uestra glorientur, id est, non solum non patiantur persecutionem à Iudæis, qui nullo modo ferebant circumcisionem aboleri, uerumetiam quòd tam multos proselytes facerent, qui circumcisione recepta Iudaismum profiterentur. Vt enim unum proselytum iudæi faciant, mare & terram eos circumire Dominus dixit Matth. 23. Est & hic obseruanda nota falsorum doctorum, qui prætextu religionis se insinuant auditoribus, quemadmodum multis seculis Monachos fecisse manifestum est, idq; non solum ut speciosi appareant, & ueluti religionis quædam specula, uerumetiam ut gloriari poßint de suis auditoribus,

quos

quos sibi suo studio & uigilantia adiunxerunt. Monemur proinde hic, ut ad uerbum & testimonium, iuxta Esaiæ dictum, Prouocemus, quoties de religione oritur quæstio, nihil morantes hypocrisin Pharisæorum & πεϑανολογίας Sophistarum.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

Antithesis est. Opponit enim suum exemplum Pseudoapostolorum inani gloriationi. Exemplum hoc omnibus pijs ministris Euangelij, adeoq; omnibus Christianis imitandum est: quorum gloriatio in sola cruce Christi, hoc est, in uictima Christi ac uictoria (est enim Synecdoche) posita esse debet. Ambrosius perpulcrè ait: Cuius omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce eius. Hoc loco pessimè abusi sunt indocti Monachi, qui crucem hic interpretantur lignum crucis seu patibulum, cui affixus erat Dominus. Ex quo postea effectum est, ut huius patibuli imaginem pro idolo coluerint, omnium ferè sanctißimo, ac præstantißimo. Hinc illa est salutatio: O Crux aue spes unica.

Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Ratio superioris sententiæ à causis sumta. Per quem mihi mũdus crucifixus est, id est, spretus & contemtus à me. Ego uicißim mundo sum crucifixus, hoc est, spretus & contemtus à mundo. Quare nihil mihi reliquum est quo glorier, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ambrosius in hũc locum ita scribit: Inuicem sibi mortui sunt, & Apostolus mundo, & mundus Apostolo: dum nihil concupiscit Apostolus mundi, & dum nihil habet mundus suum, quod agnoscat in Apostolo. Crucifixio mundi hoc loco Metonymia Hebraica contemtus mundi est, ponitur enim subiectum pro adiuncto. quod frequens est in scriptura. Interpretationem nostram confirmat sententia quæ sequitur.

Nam in Christo Iesu, neq; Circumcisio aliquid ualet, neq; præputium, sed noua creatura.

Ætiologia est superioris sententiæ. Tollit enim per distributionem omnem gloriandi materiam. Per Circumcisionem synecdochicos intellige omnes Mosaicos ritus: ex quorum obseruatione materiam gloriandi petebant Iudæi. Per Præputium eadem figura intellige quicquid habuerunt gentes incircumcisæ, & quicquid humana sapientia suo acumine excogitare potest. Omnia enim ista in salutis negocio nihil sunt. Nam hic

tantum

tantum ualet noua creatura. Dicitur autem noua creatura, quo ad animam homo reformatus spiritu Dei: qui non amplius sibi, & mundo uiuit, sed Christo, per quem regeneratus est in hunc finem, ut in nouitate uitæ ambulet, hoc est, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum uiuat. Quoad corpus attinet, homo tum demũ dicetur noua creatura, quando in resurrectione deposuerit mortalitatem, & induerit immortalitatem. Atq; hoc est quod Paulus ait 2. Cor. 5. Si quis est in Christo, noua creatura est. Sed quomodo noua creatura, cum nulla noua substantia condatur? Etsi autem non substantia, sed qualitas dũtaxat immutatur: tamen placuit ita loqui Spiritui sancto, ut intelligeremus omnia esse in solidum gratiæ Dei tribuenda in regenerationis opere: non quòd trunci & stipites simus, sed quòd Deus adsit in uerbo, & sit efficax per uocem Euangelij, creans in nobis non reluctantibus, nouum spiritum, quo & bene uelimus, & poßimus. Huc precatio Dauidica pertinet, Cor mundum crea in me Deus. Hæc nouitas supra in quinto fidei nomine significatur, ubi ita ait Apostolus. Nam in Christo Iesu, neq; Circumcisio aliquid ualet, neq; Præputium, sed fides per caritatem agens. Nouam ergo creaturam dicit uitam nouam per fidem Iesu Christi. Vt rectè Augustinus interpretatur, & Ambrosius cùm ait: Noua crea-

tura est regeneratio nostra. Porrò partes huius nouitatis enumerat Paulus ad Roman. 6. ubi agit Apostolus de causis mortificationis & uiuificationis: quæ sunt regenerationis seu sanctificationis partes. Locus hic diligenter obseruandus est, docet enim, quòdnam potißimum Christianorum studium esse debeat: uidelicet præ cruce Christi contemnere, quicquid est in mundo sublime: ac totis uiribus nouæ uitæ studere. Damnatur ergo hoc loco omnis excellentia, et quicquid magnifieri solet ab hominibus, Nam si desit renouatio cordis, si non adsit noua creatura, frustra gloriaris de alijs rebus mundi.

Et quicunque hac regula incesserint, pax super eos erit, & misericordia, & super Israelem Dei.

Promißione claudit præsentem locum, atq; adeo totam superiorem doctrinam de iustificatione, de Christiana libertate, & de uita iuxta spiritus directionem instituenda. Hæc promißio non aliter accipienda est, quam si illam suo ore Dominus pronunciasset. Hinc proinde consolatio haud mediocris fidis uerbi ministris, atq; adeo omnibus pijs petenda est: idq; maximè cum ab impijs damnantur ut hæretici, et schismatici: atq; adeò à Deo damna-

damnati & abiecti, hoc est, ut loquuntur, anathematizati. Si enim Deus promittit pacem, & misericordiam omnibus ijs, qui secundum Regulam à Paulo præscriptam ambulant, hoc est, qui doctrinam Pauli profitentur, docent, propugnant, iuxta eam uitam dirigunt, moresq; formant, non est quod metuant sibi à fulminibus anathematum Papæ. Verbum enim ςοιχεῖν (ut supra quoq; admonui) significat propriè ita incedere, ut certus ordo teneatur, adeo ne linea quidem transcendatur, uerumetiam nouas regulas comminiscitur pugnantes cum Regula Christi, quam Paulus hic nobis commendat, nullo modo audiendus est, sed potius tanquam serpens, qui nostros parentes decepit fugiendus, & execrandus est. Valeat igitur Papa cum suo Francisco, Dominico, Antonio, & cum reliquis Ægyptiorum locustis, & nobis sufficiat regula Christi, quam nobis in Abrahamo commendat, qui propterea pater credentium nominatur. Israël Dei Methonymicos totum fidelium cœtum denotat, & tacitè perstringit Apostolus Iudæos circumcisionis propugnatores: qui non parum gloriabantur de carnali propagatione à sancto Patriarcha Iacob, qui & Israël dictus est, Ac si diceret Paulus. Glorientur isti quantum uolunt de carnali suo patre, nos tamen certißimè sciamus, quòd benedictionis promißio pertineat

ad promißionis filios, qui ſunt credentes omnes ex quibuſcunq; tandem parentibus ortũ ducũt. Nam indefinita particula Quicunq; tollit diſcrimen nationum, & perſonarum. Significatq; promißionem gratiæ uniuerſalem eſſe. Deinde Regulæ mentio applicationem gratiæ notat. Quicunq; enim iuxta Pauli Regulam promißioni gratuitæ credit, Deo reconciliatus eſt, & factus eſt noua creatura in Chriſto Ieſu: idq; non ex ſuo merito, ſed ex mera Dei miſericordia, & bonitate. Iſraël proinde Dei eſt, cuius laus eſt à Deo, & non ab hominibus. hoc eſt, qui probatur Deo ueſtigijs fidei Iſraelis Patriarchæ inſiſtens: Qui Iudæus in occulto, ad diſcrimen eorum qui in carne confidentes Chriſti, Euangelium de gratuita iuſtificatione repudiant, dicitur.

Deinceps labores mihi nemo præbeat.

Extrema admonitio eſt: cuius hic eſt ſenſus. Poſtquàm iam ſatis Pſeudoapoſtolorum impoſturas aperui, & ueram uiuendi Regulam iuxta Chriſti inſtitutum docui, ueſtrum erit nunc diligentius officium facere, Cauereq; ne rurſus decepti Pſeudoapoſtolorum fraudibus, indigeatis ulteriori increpatione: quæ mihi profectò pariet non leues moleſti-

molestias, Non enim potest magister pius sine grauı molestia discipulorum suorum defectionem, & supinam negligentiam ferre.

Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo gesto.

Ratio admonitionis est à cruce, quam perpessus est, nomine Christi sumta. Sunt autem Stigmata notæ iniustæ, seu signa quædam reatus, quibus serui delinquentes olim à suis dominis notabantur, non sine magna illorum infamia. Vnde & στιγματίαι & stigmatici dicebantur: ut qui nota aliqua adusti semper apparerent sontes. Hinc ad crucem & persecutionem piorum, & potißimum ministrorum uerbi, transfertur uocabulum. Vt Domini stigmata sint quædam uelutı notæ, quæ imprimuntur nobis, ut sunt probra, lapidationes, colaphi, flagella, carceres, contemtus & id genus alia, quibus Dominus oues sui gregis signare solet: non quidem in illorum contumeliam, sed in illorum maximam gloriam. Nam his notis reddimur conformes quadam ratione filio Dei, cum quo olim glorificabimur. Hic locus obseruetur de cruce Ecclesiæ, quæ est perpetua nota filiorum Dei, causas suprà recitauimus.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro fratres, AMEN.

Precatione et uoto, ut incœpit, ita finit hanc Epistolam. Cum autem ait: Cum spiritu uestro, optat ut in imo pectore istam gratiam sentiant, & retineant. Nam tum demum obtinemus Christi gratiam, quando eam sentimus in corde nostro, uiua fiducia in ipsum recumbentes. Non enim sufficit nuda cognitio gratiæ, sed requiritur etiam sensus in corde. Quare Apostolus noster optat Philippensibus, ut abundent in omni cognitione, & sensu rerum excellentium. Cognitione quidem, qua intelligamus & cognoscamus quæ oportet: Sensu uerò, quo intus in animis experiamur & sentiamus ea quæ intelligimus, & inoffenso cursu pergamus usq; ad diem Iesu Christi. Philip. 1. Fraterna compellatio eò pertinet, ut intelligant Galatæ, quo affectu Paulus hanc Epistolam è carcere Romano scripserit: nempe fraterno, ut qui communem patrem cum illis agnoscat Deum in Christo Iesu Domino nostro. AMEN, à ueritate dicitur: cuius usus in Ecclesia uarius est. Nam in precatiõibus, est fidei obsignitio: In uotis, est affectus comprecantis testimonium: In approbationibus, est consensus testificatio: Et in asseuerationibus est confirmatio dicendorum, & eorum qui audiunt

unt πληροφορία, ſeu certitudo. Breuiter, exemplo Hebræorum communiter utimur uocula Amen, uota, precationes, imprecationes & deuotiones approbantes, ac ſi dicas: Sit ratum, fiat: pro quo Græci interdum uſurpant γένοιτο.

Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti det nobis omnibus Filij ſui ſpiritum, ut ipſius donati ac firmati gratia, ſecundum ipſius uoluntatem in hoc mundo uiuamus: & tandem reſuſcitatis corporibus per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, æterna fruamur beatitudine. Amen.